
N. HEINSII

ITALICA.



AMSTELODAMI,
APUD C. G. VAN DER POST.
CIƆIƆCCCLXXII.

N. HEINSII
ITALICA.



NICOLAI HEINSII

ITALICA.

E POEMATUM EDITIONE ELZEVIRIANA
A POETA PASSIM CORRECTA

EDIDIT

I. C. G. BOOT.



AMSTELODAMI,
APUD C. G. VAN DER POST.
CIↃIↃCCCLXXII.



TYPIS I. F. VISSERS.

ITALIAE

POESEOS LATINAE MATRI

NOVAM RECENSIONEM ELEGIARUM

ELEGANTIS POETAE BATAVI

AMORIS SUI TESTEM

GRATI ANIMI ARRHAM

MITTIT

IOHANNES CORNELIUS GERARDUS BOOT.

PRAEFATIO.

Nicolaus Heinsius, Danielis filius, natus Lugduni Batavorum anno CIↃIↃCXX, inter poetas Latinos, quibus mea patria gloriatur, principem aliquem locum tenet. Ingenium pueri ad poesin factum mature praeceptis et exemplo parentis, qui ipse egregia carmina scripsit, et avunculi Joannis Rutgersii formatum et expolitum est, et quum adolescentulus cum Musa Latina iam familiaritatem contraxisset, vir factus eam colere non destitit. Quum igitur tria in eo conspirarent, ingenium, disciplina, exercitatio, non mirum est restitutorem poetarum veterum inter praeclaros poetas numerari. „Omnia et singula Heinsii carmina," ut scripsit acerrimus poetarum Latinorum existimator Peerlkampius in libro de poetis Latinis Nederl., p. 428, „tanto nitore, ea numerorum concinnitate, ingenii ubertate et sententiarum

pondere sunt perpolita, ut non macilenta quaedam species, sed sanguine et succo Romano corpus perpastum appareat."

Annum aetatis decimum septimum vix ingressus erat, quum carmine heroico caneret laudes principis Frederici Henrici ob receptam armis validam urbem Bredanam. Carmen prodiit anno CIↃIↃCXXXVI Lugd. Bat. ex officina Elzeviriana, hoc titulo: *Nic. Heinsii Dan. fil. Breda expugnata. Accedunt epigrammata aliquot eodem auctore.* Magno favore exceptum esse testantur varia variorum carmina poetae missa. Ipse postea indignum iudicavit, quod in editionibus poematum Lugd. Bat. anno CIↃIↃCLIII et Amstelodami CIↃIↃCLXVI factis repeteretur.

Temporis ordine sequitur volumen paginis 92 compositum in 4°, quo continentur: *Elegiarum liber et varia diversi argumenti poematia*, editum Parisiis MDCXLVI. Haec carmina in ultima editione Amstelodamensi, quam modo indicavi, repetita sunt in *Iuvenilium* libris duobus, p. 215—284, quibus subiunguntur *Saturnalia*, p. 285—306, eaque ut e praefationis subscriptione apparet anno CIↃIↃCXLVIII primum edita fuisse videntur, etsi peculiarem libelli editionem nec vidi nec usquam laudatam inveni.

Eodem anno Heinsius tum in Italia vivens Patavii edidit *Italica sive Elegiarum librum alterum*, in quo maxime apparet quantus poeta fuerit. Heinsius amabat Italiam, quae tunc plena erat bonarum artium et literarum et ubi haec studia ardenter colebantur, eumque amorem versibus testatus est; Itali, elegantioris doctrinae studiosi, magno cum plausu

vatis Batavi carmina exceperunt versibusque Latinis et Italicis celebrarunt. Post alteram peregrinationem Italicam in patriam redux anno CIƆIƆCLIII *Italicorum librum secundum sive Elegiarum tertium*, maiore ex parte Florentiae natum, dedicavit Carolo Dato Florentino, et typis describi voluit in nitido libello, qui eodem anno Lugduni Bat. ex officina Elzeviriorum prodiit, eius Poemata complexo.

Inter illam editionem et ultimam, quae ipso absente studio suavissimi amici Hadriani Wallii Amstelodami prodiit, tredecim anni praeterierunt, in quibus poeta variis negotiis publicis privatisque distractus vitamque agens instabilem plurima tamen carmina fecit, partim elegias, quas deinde in duos libros distribuit, alterum Octavio Falconerio, cruditissimo archaeologo, alterum Conrado van Beuningen, viro legationibus obitis illustri, inscriptum (p. 59—114 edit. Amst.), partim carmina variis numeris composita, quae continentur tribus libris Silvarum (ibidem p. 115—214).

Ultima haec editio nitide typis descripta Danielis Elzevirii continet praeter Heinsii carmina, I. Rutgersii poemata et multa Casparis Kinschotii et aliorum carmina Latina, Gallica, Italica ad Heinsium, quae Adoptivorum carminum nomine designantur. Sed liber non dat omnia Heinsiana. Multa, quae partim Vallii diligentiam effugerunt, partim postea facta sunt, exeunte seculo superiore in Deliciis poeticis repetita vel edita sunt a Laurentio Santenio. Multo magis dolendum est editorem non potuisse uti exemplo castigato, quod poeta post librum editum in scriniis suis

invenit, ut in praefatione ad lectorem narravit. Ipse Heinsius quum a. d. XV Nov. CIↃIↃCLXVI Hadr. Wallio suo duo exempla poematum suorum offerret, novae editionis aliquam spem dedit his verbis: „Plura tibi cuperem oblata; sed in hac editione minus mihi satisfacio, quam alia castigatior propediem excipiet, si lectores liber et emtores inventurus est. Sin minus probabitur et plausu carebit, non est quod mea nimis officiosa opera nolentibus obtrudatur."

Sed quum emptores deessent, nova editio non prodiit, de qua re Peerlkampius l.l. sic questus est: „Sua ipse poemata coniuncta edidit Amstel. 1666. Quae cum invidia inimicorum minus avide venderentur, Heinsius spem novae editionis, auctae illius et emendatae, quam fecerat, non implevit. Cuius rei causa ego inimicis istis irascor. Non enim Heinsio, sed ipsis literis nocuerunt."

Exemplar illud „aliquanto castigatius," unde pauca quaedam in Emendandis et mutandis ad calcem voluminis descripsit, deinde inserviit corrigendo editionis ultimae exemplo, quod post poetae mortem pervenit ad Carolum Crucium, civitatis Leidensis quondam consulem, et ab huius nepote traditum est Petro Burmanno Iuniori ad novam editionem parandam. cf. narratio Burmanni in commentario de vita Nic. Heinsii eius Adversariis praemisso p. 43. Neque Burmannus consilium emendatae novisque carminibus auctae editionis perfecit.

Quid de exemplo Cruciano factum sit quove devenerit

nescio. Sed eius iactura minus dolenda est, quod superest apographum Burmanni. Id cum libris Petri Fonteinii, doctissimi amici L. C. Valckenaerii et D. Wyttenbachii migravit in bibliothecam societatis Teleiobaptistarum, quae Amstelodami est, et in catalogi parte tertia sub numero 42 sic designatur: „N. Heinsii poemata, Amst. 1766. Exemplar eximium, scatens animadversionibus innumeris tam poetae ipsius, quam P. Burmanni Secundi, ad novam editionem praeparandam. Accedunt quaedam autographa N. Heinsii."

In inferiore margine tituli legimus: „Sum Petri Burmanni Fr. Fil. et Nep. CIƆIƆCCXXXII," et in alia charta idem Burmannus sua manu scripsit: „Emendationes, quae in margine libri huius conspiciuntur, descripsi ex autographo Heinsii, qui manu sua, mordaciori lima carmina sua denuo castigans et perpoliens, eas adleverat exemplari suo huiusce editionis, cuius videtur meminisse initio praefationis. Quod mecum aliquando communicavit cognatus Carolus Crucius, Leidensi magistratui adscriptus, nepos Caroli Crucii, Leidensis quondam civitatis Consulis."

Ipsius Burmanni adnotationes continent indicia librorum, in quibus carmina Heinsii inveniuntur, quae in hac editione desunt, duo eiusdem epigrammata, alterum *in tabulam urbis Delftae*, alterum *in statuam Des. Erasmi*, quod Roterodami in basi statuae legitur, edita in Santenii Del. poet. p. 12 et 84, paucas observationes argumenti biographici et bibliographici, postremo indices no-

minum. Unicum quod cum libro servatur carmen Heinsii manuscriptum est editum in Elegiarum libro III, el. XII.

Heinsii correctiones sunt innumerae. Nulla fere pagina est sine litura. In praefationibus singulorum librorum soluto sermone scriptis et magis in carminibus, quicquid non satis pure eleganterque scriptum, non satis numerosum parumve accurate dictum videbatur, denique quod variis de causis minus ipsi placebat, deleverat et quomodo correctum vellet in margine apposuerat. Quanta cum cura et diligentia hac in re versatus sit, quisque intelliget, qui meam editionem Italicorum fideliter ad illud exemplum factam cum editione Elzeviriana comparabit.

Mense Decembri anni superioris in consessu Academiae regiae declaravi me omnium poematum Nic. Heinsii emendatam editionem daturum esse, si aequis conditionibus fieri posset. Sed quum nemo consilium illud laudaret multoque minus adiuvaret, abieci pro certo habens volumen magnum carminum Latinorum non magis nunc quam Heinsii tempore lectores et emptores inventurum esse. Quod vero tunc promisi me meis sumptibus partem libri in Italia natam et doctissimorum Italorum plausibus acceptam eorum posteris oblaturum esse, id nunc praesto. Duos libros Italicorum, quibus propter argumenti similitudinem adieci carmen Alcaicum de agro Neapolitano, olim editum in Silvarum libro secundo (p. 178 seqq. edit. Elzev.), sed dein a poeta ita mutatum, ut paene novum videri possit, harum elegantiarum amantibus, maxime Italis dono et mitto.

Quare autem hunc libellum Italis potissimum destinaverim, paucis expediam. Contigit mihi ea felicitas, ut bis magnam Italiae partem peragrarem. Utroque in itinere, altero ante XXXIV annos, altero nuper facto, dubius haerebam, quid magis admirarer regionis amoenitatem, loca in quibus frequentia antiquorum adsunt vestigia, artis praeclara opera, eruditionis immensos thesauros, an hominum, quos cognovi multos, humanitatem et comitatem. Nunquam obliviscar, ut olim me adolescentulum viri generis nobilitate et doctrinae studiis clarissimi exceperint, et ingratus essem nisi recordarer quanta benevolentia quantaque comitate nuper, quum conventus doctissimorum virorum e variis Europae regionibus Bononiae haberetur, Bononienses, Mutinenses, Ravennates, et quum ad illos pervenissem paucosque dies inter illos viverem, Florentini, Romani, Taurinenses. me advenam prosecuti sint. Itaque volui palam ostendere quanti facerem et illos familiares et universam gentem, quae si libertate tandem recuperata recte utitur et improbam Sirena, quam merito vitandam monuit Horatius, strenue vitare didicerit, magnis rebus denuo videtur destinata. Et quoniam lingua Latina et poesis Latina trans Alpes nondum plane negligitur, Heinsii autem carmina, quibus Italiae laudes canuntur, vix ulli in illa terra nota esse comperirem, multis nec ingratum nec inutile me facturum credo, si curavero, ut plura nitidi libelli exempla per Italiam spargantur.

Alia studia nunc magis in honore esse, aliis negotiis mentes hominum distineri scio, sed idem existimo homines his

literis tinctos e bonorum carminum lectione delectationem animique gravioribus rebus plerumque intenti remissionem nonnunquam petere velle. Ceterum nemini invito obtrudam haec carmina, concedamque *suum cuique amorem*, dum relinquat *mihi meum*. Scr. Amstelodami Idibus Dec. CIƆIƆCCCLXXI.

I. C. G. BOOT.

Benevolus lector corrigat quaeso:

p. 20 v. 3 ab imo:	*Sit pudor invito*
p. 26 v. 7 a summo:	*Lethaea*
p. 30 v. 3 „	*o nullo*

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

ITALICORUM

LIBER PRIMUS.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

CASSIANUM PUTEANUM.

VIRO IN EXEMPLUM SAECULI NATO,

CASSIANO PUTEANO,

Equestris, qui Divo Stephano sacer, Ordinis Commendatori, Abbati Caburrensi,

NICOLAUS HEINSIUS

D. D.

Confidenter fortasse facio, nec omnino tamen aut praeter ordinem, aut praeter debitum, Cassiane Puteane, integerrime omnium et humanissime Vir, qui invidendo praeclari nominis tui splendore Musas hasce illustratum eo. A pudore quidem cum impetrare meo vix possem, ut pedem ex Italia vestra moverem, non prodita in publicum tuorum erga me meritorum confessione, nec ad manum tamen esset, quod expungendo debito sufficeret, a benignitate tua fiduciam sumsi, et vel solam meritum profitentis conscientiam abunde satisfacturam tibi credidi. Adeo nimirum facile ac pronum est, minimam etiam apud illos notam mali nominis evadere, qui superare beneficiis pulcherrimum ducunt. Nam, in urbe nuper aeterna cum haererem, quod non ultima inter tuos admissione me dignatus es, summaque benevolentia fovisti, quid nunc dicam? Quae quidem ego ut inter amicos occasione quavis haud premo, ita hic in transcursu tantummodo nunc tango, ne ad ostentationem ea praedicare videar, aut modestiae tuae gravis sim. Quoties recordor tui, recordor autem saepenumero, toties occurrit menti pulcherrima virtutum omnium imago. Contemplari quippe videor Romanos illos veteres incorruptae probitatis exempla: quorum genuinas reliquias in te venerantur, quotquot virtuti student. Accedit huc de antiquitate, deque universo reconditae eruditionis nomine bene merendi prolixa et

1*

pervicax voluntas. Accedit ambientis Fortunae contemtor animus, et sapientiae praeceptis ad miraculum usque instructus. Domum illam tuam, pro sacrario Apollinis sui, quotidie terunt, quicquid Romae litteratorum vivit hominum, aut quicquid Romam Transalpinis ex oris concurrit. Statuarum ac marmorum quorumcunque nihil est, nulla propemodum ex priscis ruinis relicta monumenta sunt, aut in lucem de novo proferuntur, quae non tuis sumtibus describi depingique cures, verus vetustatis sospitator, conservator unicus. Nec in vivos minor tua liberalitas. Aegre profecto persuaderi mihi patiar, ex eruditioribus per Italiam universam inveniri quemquam, quem non beneficiis frequentibus ac tantum non continuis et sis demeritus iam olim, et nunc quoque de die in diem sedulus demereare. Nec defuerunt inter illos, qui certatim gratos sese praestitere, dignisque heroïcum hunc animum praeconiis immortalitati consecrarunt, ut serus nunc ad virtutum tuarum commendationem accedam. Quae quidem cum nemini non explorata sint, nec adulationi quicquam demus, Clarissimo ac summae eruditionis viro Lucae Holstenio, cum multas alias ob causas, tum hoc praesertim nomine, devinctissimum me profiteor, quod primus ad te aditum mihi pararit. Poteram mehercules, Vir Illustrissime, sola ambitione compulsus libellum tibi hunc videri inscripsisse, nisi beneficia tua, quorum rationem habui et habere debui, ab omni vanitate me absolverent. Quicquid sit, de libello ipso ominari bene liceat, qui tam auspicato sub patrocinio luci committatur. Si tamen et suo forsan nomine benigna lectoris iudicia experietur, nec omnino displicebit: id terrae Genio licet adscribatur, omnium elegantiarum matris, in qua natus est et quam potissimum commendandam suscepit. An peccarim denique lector eruditus viderit, dum laudes Italiae illius viri nomine inscribo, qui laudes inter Italos praecipuas et consecutus est et meretur.

Scriptum ipsum ludicrum, otiantis ingenii foetus, in via, dum à seriis vaco, inter equitandum magnam partem conceptus. Quod mouendum duxi, ne credas ipse, et tecum alii, pluris a me venditari ista, quam mihi constiterunt. Nam quod magnifice nonnumquam de me meisve verba fecisse videor, id intelligi sic nolim, quasi hic mihi ipsi blanditus sim aut assentatus: sed dolere et male iis esse volui, qui ferre in nobis non possunt, quod ad praeclara adspiramus, ac iuratos hostes nostros hoc nomine sese gloriantur. Antiquitatis certe imitandae curam mihi fuisse non nego. Id feliciter an assecutus sim, tuum tuique similium erit arbitrari, Puteane Illustrissime, qui veteres elegantiss in numerato habetis. Mihimet profecto ipse nequaquam hic satisfeci. At vero proclivis venia est inaccessa tentantibus; et magnis ausis excidisse, non infra gloriam putatur. Amicos ac bene de me meritos quod libenter laudo, nimius et hic forsan nonnullis videbor, ac in mores saeculi nostri peccasse convincar. Nam qui plaustra convitiorum scriptis suis ingerunt, in obvios passim incurrunt, quosvis irritant, quosvis scurrili sale petulanter defricant, ea denique audent,

Quae nec in Armeniis tigres fecere latebris,

illi demum magna nunc (si Diis placet) sunt nomina. quos ego hercule non pluris facio, quam belluas aut brutas pecudes. Illi vero, Vir Illustrissime, qui non amicos tantum, sed et hostes occasione quavis commendant ac demerentur, hunc ingenuitatis suae fructum et candoris ferunt, ut abiecto animo esse credantur. Impetrare equidem à me vix possum, ut existimem inter repertos nuper Americanos, barbaras aut inhumanas magis gentes esse eruditis nostri saeculi nonnullis. Aream illam, quae ad doctrinae gloriam tendentibus patet, arenam esse dicas, in qua gladiatores committantur. Praeda ac rapinis alienae existima-

tionis plerique suam tuentur, et foeda latrocinii cuiusdam sub imagine grassantur per aeternitatis viam; quae cum ampla sit in primis ac spatiosa, angusta tamen creditur, nisi eodem contendentes quoquo modo submoveantur. Lapsos etiam, quos sublevare comiter debebant, obterunt porro ac conculcant. Vivos ubi involarunt omnes, cum umbris mortuorum ac larvis luctantur. Mihi sic visum est ac videbitur semper, candorem et modestiam optima humaniorum litterarum condimenta esse. Iis placere tibi velim, Vir Illustrissime, si placeo. Pereat eruditionis nomen, et quicquid laudis ex eruditione captatur quaeriturque, si efferantur mores scientia, non emolliuntur. Verum maligna illa et contentiosa ingenia Diris suis exagitanda relinquamus. Iamdudum enim evenire sentio, quod frequenter evenit, ut aequo longius me provehat loquendi tecum voluptas. Quod reliquum est, clementissimum Deum veneror, ut non hoc tantum, quem nunc auspicamur, anno, sed sequentibus, et quidem plurimis, fausta tibi quaevis ac fortunata largiatur, mihique ac bonis omnibus superstitem te velit: cum solus ferme nostro saeculo illuxeris, cui tuto sui patrocinium res litteraria concredat. Vale, magnae laus maxima Romae, cum fratre per omnia tibi simillimo; et si molestior confidentiorve visus sum, cogita non gratis tibi constare summam comitatem, quae peccaturos ultro invitat. Patavii. Pridie Kal. Ianuarias anni CIↃIↃCCXLVIII.

ELEGIA I.

AD HADRIANUM VALLIUM DELPHENSEM BATAVUM.

Valli, Pieriis proles dignissima Delphis,
  Flexanimo Paean cui dedit ore loqui;
Dic, precor, ecqua subit fidi te cura sodalis?
  Cessit an in ventos iam fugitivus amor?
Me licet et patriam non mite diremerit aequor,
  Arva tot externi me patriamque soli;
Te grata memor usque tamen sub imagine cerno,
  Crebra refert visus noxque diesque tuos.
Nec lenit penitus fixum conspectus amorem,
  Sequana, sive tuus, seu Tiberine, tuus.
Di modo dent, ne trux obvertas terga sequenti;
  Certet in alterna par sibi mente fides.
Sic patre, sic patria, vobisque sodalibus olim,
  Sospite sic domina sit mihi posse frui.
Sic oculis superet mihi carior una duobus,
  Carior optata quae mihi luce soror.
Mars pater et vigilis sacraria Troïa Vestae,
  Et bene vos profugi numina Teucra Lares,
Aeneadumque Erycina parens, Astraeaque virgo,
  Tuque Palatini, Delphice, summa iugi;
Quos Anchisiades priscae pietatis imago
  In Latium Phrygio vexit ab orbe Deos,
Alitibus salvete bonis mihi. tu quoque salve,
  Si quid id est, rerum nobile, Roma, caput.
Hospes ab ignotis haud adsum barbarus oris,
  Tangere qui sacram non mereatur humum.
Ille ego progenitus sociis tibi, Diva, Batavis,
  Et mea Latoo numine plena domus.

Et mihi serta paraut Romanae civica Musae,
  Et mihi Nasonis credita vita tui est.
Nasonis mihi vita tui. nec amoenius ullum
  Ausonis ingenium fertiliusque tulit.
Tu quoque Taenariis, Ovidi, laetare sub umbris:
  Dextra, situm (gaude) quae tibi tergat, adest.
Non temeranda tuos en testor numina manes,
  Tu mihi nocte labor, tu mihi cura die.
Fors nitidum si menda tamen tibi corpus inerrat,
  Damna nocent senii, nec meus error obest.
Sufficit hoc umbris. at tu, Dea dextra faveto,
  Auspiciique ratem provehat aura tui.
Non ego sidereo nutantia marmore tecta,
  Templa nec aurati luce superba tholi,
Insanas non miror opes orbemque redactum,
  Qua patet, et famulos in tua iura polos.
Haec olim Fortuna tibi, nunc rudera passim
  Et cinis et sero nil nisi fama loco.
Ingeniis superasse orbem laus tempore maior.
  Hae mihi te iungunt, has ego miror opes.
Scilicet acceptum, quod nunc quoque tanta videris,
  Nunc quoque quod superes, vatibus alma refer.
Thybri, decus Tuscum, fluviorum gloria, Thybri,
  Non minus Aonio gurgite numen habes.
Quin maius quoque numen habes. nec Graecia, dives
  Sit licet ingeniis, anteferenda tibi est.
Me iuvet in flavae vernante crepidine ripae
  Persultare tuo gramina trita choro.
Idalio vel Naso meus qua saucius oestro
  Movit Apollineis aemula plectra modis;
Vel qui Maeonio de palma certat Homero,
  Musaque Dircaeae par Venusina lyrae;
Plautinusque lepos et norma Terentius artis,
  Cui Romana nihil scaena, quod aequet, habet.

Passeris aut flentur quo funera pectine, quoque
  Haemonium Thetidi Pelea iungit Hymen.
Aut hortos, Epicure, tuos tua sensa foventi
  Semina per rerum cui grave surgit opus;
Cynthiaque Ausonii cantu memorata Philetae,
  Vel cui pulchra fuit Delia primus amor.
Bilbilicos huc adde sales, Senecaeque cothurnum,
  Lucanum Senecae nec minus adde suum.
Fraternas super adde acies, super adde per Alpem
  Poeni Martis iter, Thessalicamque ratem,
Raptaque Persephone Diti quem nacta poetam est,
  Et tetricos Persî cum Iuvenale modos.
Hos inter, nisi rara tuae sit copia Musae,
  Nil studiis, Valli, laeter abesse meis.

ELEGIA II.

AD TIBERIM.

Thybri, fave. tibi vela, pater, mox lata dabuntur.
  Sentiat adflatus nunc mihi cymba tuos.
Cymba, bicornigeri ripis licet edita Rheni,
  Ludere, Thybri, tuis non rudis illa vadis.
Longum iter est, quod inire paro. da robur eunti:
  Scrupea praeruptae da superare viae.
Iam mihi fulmineas Belgarum in praelia dextras
  Stat, pater, annosae condere molis opus.
Liberaque et dominos colla indignantia frenos,
  Nassavii immeritam vindicis ulta necem;
Transtraque sanguineo stragem meditata profundo,
  Et bene pro patriis arma cruenta focis;

Et dira Albanum satiari caede negantem,
  Aeternum populis crimen, Ibere, tuis.
Tisiphone de se palmam cui victa nocendi
  Artibus et scelerum fertilitate dedit.
Haec olim. nunc, sancte, fave pacata canenti:
  En patet in plausus scaena sonora tuos.
Plectra virum graviora manent: sibi prima inventae
  Rite pharetratus tempora poscit Amor.
Sic pugnam proludat equus mihi; sic fera discat
  Classica non trepida belliger aure pati.
Idaliam nec te negat Ilia nosse pharetram:
  Et Venus Aeneae non aliena tuo.
Ecquid amat mea Lux profugum deserta poëtam?
  An, pater, excidimus, curaque nulla mei est?
Num cadit in faciem levitas (quod abominor) illam;
  Ad tam formosos num facit ulla sinus?
Me miserum, Tiberine, domo quod devius absum!
  Ah quam stultitiae caussa pudenda meae!
Non mihi sit tanti Teucros celebrare penates,
  Et de Pergameo moenia nata rogo;
Non rerum quondam dominas lustrare ruinas,
  Et quod ab aeterna nunc super urbe manet;
Nescio quis nostris insultet ut ignibus hospes,
  Utque mei partes alter amantis agat.
Non me Pompeia spatiatrix turba sub umbra,
  Vosque puellari plausa theatra choro,
Non circi, non templa iuvant, non compita, non me
  Martia virgineis gramina trita rotis.
Plus aliquid mea terra, (velim quod posse negari)
  Ah mea terra aliquid plus, Tiberine, tenet.
Poenitet heu sero, sero piget isse per altum.
  Rivalem quam me nunc iuvet esse meum!
Iuppiter, externis inhumatus ut occubet arvis,
  Qui trabe caeruleus primus aravit aquas!

ELEGIA III.

AD VINCENTIUM FABRICIUM.

Vincenti, quem Calliope, quem iuncta sororum
  Nascentem Clario fovit iu amne cohors;
Qualis adhuc teneros acuit Germauia foetus
  Exploraturis ad sua bella vadis;
Utque Pelethronio lustravit mater Achilli
  In Dîs iuranda nobile robur aqua;
Te tuus e Latio procul Heinsius orbe salutat,
  Nomen ob expertam non tibi vile fidem.
Fallor? an apparent inscriptae signa tabellae,
  Litteraque auctorem prodit amica suum?
Apparere liquet. nec enim potes, optime rerum,
  Tam tibi dilectam non bene nosse manum.
Me tenet Assaraci regnata nepotibus olim
  Septeni spatium Dardana Roma iugi.
Roma triumphatis metuendum gentibus omen.
  Cui Phoebi spolium limes uterque fecit.
Rudera pro priscis nunc iactat foeda tropaeis,
  Ah tumuli quanta mole superba sui!
Romani cineres, et quae damnata favillis
  Tecta ruinosam lapsa subistis humum;
Tarpeiique solo moles iam versa Tonantis,
  Et frustra Iliaco sacra negata rogo:
Heu sedes augusta Deûm! sic ignis adedit,
  Plus quam sacrilegae sic nocuere manus?
Ten' tueor? teue, alma parens? ubi bellica virtus,
  Nunc ubi maiestas numinis illa tui?
Tunc subactarum moderatrix ardua rerum?
  Tunc ille edomiti Martius orbis apex?

Quae sors dissimilem tibi te facit? anne vel ipsas
  Temporis exagitant iura maligna Deas?
Ne tamen usque adeo praeceps cecidisse puteris,
  Pectine Fabricii nunc rediviva mei es.
Sic Amphioniae scaenarum crimina Thebae,
  Pergama sic Claria surgere iussa lyra.
Ipse loci Genius, nec adhuc sine numine tellus,
  Nescio quid, quare me sibi iungat, habet.
Seu nunc Herculei me Tiburis ora moratur,
  Florida pomiferis Tiburis ora iugis;
Qua scopulo lapsis Anienus inaestuat undis,
  Et procul audita saxa fatigat aqua.
Seu Circaea trahunt pecuaria: quaque frequentem
  Fontibus egelidis temperat aestus humum.
Iugera Telegoni laetissima, non ego vobis
  Pinguia contulerim fertilis arva Phari:
Non ubi Achaemenio Panchaïa fragrat amomo,
  Aut quae turilegus culta Sabaeus arat.
Sive pharetriferae nemoralis Aricia Divae
  Me trahit, aestivo silva petenda die:
Quaque Numae coniux, Phrygiaeque Numicius Annae
  Raptor amatrices gramine vestit aquas.
O non lustrandae properanti lumine sedes,
  Avia Pegaseo rite dicata choro!
Sed desiderium deserti mite parentis
  Iam premit, et spontis me negat esse meae.
Cui nunc conspicuis meditanti saecula chartis
  Plorat ad Aonias aemula turba fores.
Haec eadem te, dulce caput, manet ardua merces.
  Non tu Lethaeis praeda futurus aquis.
Me quoque non totum quo postera negligat aetas,
  Glorior ingenii pignus habere tui.

ELEGIA IV.

PAUSILYPUS.

AD CASPAREM KINSCHOTIUM.

Pausilypi myrteta et odorae laurea frondis,
  Laurea Castalio grata corona Deo,
Obvia caeruleas cui Doris porrigit ulnas,
  Et liquido tremulae murmure plaudit aquae;
Frigore quam placido Zephyritis temperat aura;
  O numquam tacitae garrula silva comae.
Tu mihi concilia somnum ocius, ocius aegro
  Taedia praerupti tu mihi falle iugi.
Excipe me viridi gremio, nemus, excipe lassum:
  Sic amet umbrosam plurima Naïs humum.
Sic pia pacato Ceycis ab aequore coniux,
  Maestaque in aëria Daulia fronde parens,
Fletibus alternam querulis tibi personet aurem;
  Lugeat haec prolem, lugeat illa virum.
Delia perspicuis sic se miretur in undis,
  Et Satyri casta submoveantur aqua.
Haec me, Kinschoti Venerum pater, ora moratur:
  Saepe mihi totos haec rapit ora dies.
Sive sitis torret, sitienti grata palato
  Praeda fluunt manibus citrea mala meis:
Nec mitem arboribus desunt stillare liquorem
  Punica demta suis, demtaque Meda suis.
Pampinus hinc ulmum sociis complexa racemis,
  Hinc picturato germine frondet humus.
Et modo litoreo speculamur in aggere fusi
  Otia tranquilli temperiemque maris.

Et modo, sed facili, properat mihi carmen, avena,
  Victuris utinam Musa benigna modis!
Te tamen in primis, te suspiramus abesse,
  Vilius ô cara, non mihi luce caput.
Nulla placent sine te mihi gaudia, nulla voluptas.
  Vatis inoblito totus in ore tui es.
Hoc equidem nostis, reor, avia. vos mihi testes:
  Et stupet ad tantam conscia silva fidem.
Forsitan hac olim requieverit Actius umbra,
  Actius Ausoniae fama superba lyrae.
Illum Aganippaeae raptum iuga Mergilinae,
  Et vidua Siren flesse putatur aqua.
Tu quoque mutasti veterem, Philomela, querelam.
  Iustior hinc lacrimis et pia caussa tuis.
Non facit invidiam dolor hic tibi, Tereos uxor.
  Quam bona nunc mater, quam bona nupta fores!
Tune eadem, aeternum tuu' flesti hic ante Maronem,
  Daulias, ah maestis ingeniosa modis?
Tun' tantum, infelix, speraras ferre dolorem?
  Quid tibi tunc animi, quid tibi mentis erat,
Cum gemitus Phoebea pios ad busta trahentem
  Percita funestis silva secuta sonis?
Audit, et admonito geminantur vulnera luctu.
  Flebilius certe, quam modo, visa queri est.
Perge queri, miseranda, queri sine fine memento
  Sincerumque tuum Virgiliumque tuum.
At mihi sit sanctas venerari comminus urnas,
  Aonium Tempe Parthenopaea nemus.
Tene Maro tumulum legit sibi? tune Maronis
  Ossa foves placido, silva beata, sinu?
Exsulet, ingenium qui non habet, exsulet inde
  Plebs Epimethĉo non bene ficta luto.
Iam minus admiror tua nomina, culta vetustas.
  Difficile hic Clario non caluisse Deo.

Ipse ego, Teutonici modo cretus ad ultima Rheni,
  Ordior in Latios plectra canora modos.
Dî facerent, tractu natus perhiberer in illo!
  Patria, da veniam; rustica terra mihi es.
Non tibi Pausilypus Peneïda ventilat umbram:
  Flora per infaustam nulla renidet humum.
Non platani genialis honor; non myrtus amatrix;
  Non viridi luges qui, Cyparisse, coma.
Nescit odoratam spirare Favonius auram.
  Non tibi perspicuae fons salit uber aquae.
Area ter flavam non accipit annua messem:
  Non licet autumno bis dare poma tuo.
Ah nullo patriae Genio loquor! orgia duxi
  Per tibi damnatos sic quoque, Phoebe, lares.
Quae pietas opto prosit mihi: prosit ab ungue
  Iam tenero placitam sollicitasse chelyn.
Pectore vaticino si te non mentior, et si
  Numinis interpres pagina nostra tui est,
Huc agedum, Paean pater, annue: debita posco.
  Non ego sim domui gloria prima meae.

ELEGIA V.

IN NATALEM PARENTIS.

Sacra vocant patrio facienda domestica Phoebo.
  Nunc mihi, si quando, Calliopea, veni.
Tecum adsint Charitesque tuae Clariaeque sorores,
  Et Paphii Paphia cum genetrice Dei.
Vulgus, ïo, procul hinc, procul hinc secedite, vulgus.
  Tu quoque cum vulgo deside, Livor, abi,

Nunc libet Oenotrae sacraria pandere Musae;
  Ferre per Ausonios nunc mihi vela sinus.
Parthenope Phoebea, fave pia sacra paranti,
  Si facile hospitium vatibus ora tua est.
Eia agite huc, Nymphae Sebethides: huc mihi, Nymphae,
  Plena Dionaeis ferte canistra rosis.
Iam mihi Pausilypi croceos in vertice flores
  Legit odorato gnava Thalia sinu.
Ipsa Maronei Genium spirantia busti
  Serta tulit laurum, myrtea serta tulit.
Da citharam, da plectra, puer, cyathosque merumque.
  Curarum procul hinc non mea cede cohors.
Amphora nectareo veniat cariosa Falerno,
  Progenies nemoris, Gaure, vel uva tui:
Caecubaque, et laeti genialia Massica floris,
  E Surrentino promta saliva cado.
Tura focis dentur natale piantia tempus,
  Salsaque cum liquida Pallade iuncta Ceres:
Libaque verbenaeque, et si quae denique magnos
  Exorare solent munera blanda Deos.
Tura focis dedimus: quae dentur, vina supersunt.
  Cernis, ut adfuso gaudeat ara mero?
Laeta ferant Superi precor omina. sternuit omen
  Flamma repentinam ter iaculata facem.
Accipio: votis Deus annuet. annuet, Heinsi.
  Incipe iam facili tu modo vota Deo.
Candida lux, ô luce dies iucundior illa,
  Qua mihi vix nato risit uterque parens;
Quae meritis precer aequa tuis, lux foeta bonorum?
  Ah labat in tanto cymba pusilla mari.
Tu nec ab Aeoliae flatu temerare procellae:
  Nec fer inhumani nubila regna Noti.
Rideat, ut risit, placido tibi Delius ore
  Semper, et in festis te sciat esse suis.

Saepe coli salvo possis mihi, saepe parenti.
Te quoque in Elysia, lux bona, valle colam.
Festa dies, salve. tibi enim, tibi contulit omnis
Roma suas Veneres, Graecia prisca suas.
Cessit Idumaeam Solyme tibi praescia palmam,
Deque Palaestino rapta tropaea Syro.
Sit mihi fas titulos non dissimulare paternos:
Pace loqui, Livor, sit mihi vera tuâ.
Aut, si iam veniae non est locus, arma parentur.
Pluris amicitia Fama paterna tua est.
Virtuti fatale malum, comes aemule Musis,
Livor iners, plora: rumpere, Livor iners.
Dî facerent, praesens natalia vota tulissem:
Vota minus fido non bene danda Noto.
Sic tamen adveniant, quo mittimus: et procul, oro,
Mollior in patrias devehat aura manus.
O sanctum genitor gnato caput, exige seros,
Exige sed laetos et sine nube dies.
Tu lucis, venerande, iubar, tu cuncta dedisti.
Si qua mihi veniet gloria, tota tua est.
Te duce Pieriae tentavimus avia rupis:
Nota parum vulgo te duce trita via est.
Gratia Dîs Genioque tuo, quod non ferar olim
Inter Apollineos nomen inane choros.
At tibi dent annos, dent longam fata salutem,
Deque meis annis deque salute mea.

ELEGIA VI.

AD PAGANINUM GAUDENTIUM.

Me fovet Inarimes scopulosa Typhoïdos ora,
Ora sub Icarii sidere grata canis:
Quam rigui fontes, venisque perennibus undae,
Et placidum tremulae murmur inerrat aquae;
Blandaque temperies, et amica frigus ab aura,
Et numquam Aeoliis invia myrtus equis.
Hic mihi nunc praestat locus otia. si tamen ora
Praestat Hyantaeae non nimis apta lyrae.
Et modo frigenti mulcemur pectora lympha;
Et modo sulphureae fonte calemus aquae.
Si qua fides, tellure satus genetrice Typhöeus,
Cui centumgemina brachia septa manu,
Mole sub hac Paphiae tentata cubilia Divae,
Perfidaque in dominos nunc luit arma Deos.
Saepe sinum impositae molitur et intima terrae:
Saepe gravem tostis faucibus adflat humum.
Pelion hic Ossa cumulaverat, Ossan Olympo;
Ausus in aeternum comminus ire Iovem.
At pater armato scopulis et inane frementi
Fulminis impegit tela trisulca sui.
Haud tulit; et fracto resolutum pectore robur
Fluxit ab aëriis in salis alta iugis.
Idalis e patrio, iam non fugitiva, profundo
Risit amatoris vulnera cruda sui.
Protinus obductum congesta corpus arena,
Umbraque arenosis myrtea nata iugis.
Ipsa loci facies, sentis licet horrida dumis,
Frigoris illecebra non inamoena sui est:

Cum furit aestivis per hiulca vaporibus arva,
  Flammaque pulveream Siria torret humum.
Hactenus Inarime. Nunc te, Paganine, canemus;
  Lucida Munichiae fax, Paganine, Deae.
Hospitii quem iura mihi, quem gratia morum,
  Cautaque simplicitas, nec simulata fides,
Quem mihi praecipue sociavit candor amanti,
  Candor in Aonio rarus, amice, choro:
Nec luxu spectanda suo, sed docta supellex,
  Tum ter tres deceant qualia tecta Deas:
Lusibus et Clariis bene circumscripta voluptas,
  Gaudiaque innocui non nisi plena salis.
Cecropio se mensa probat condîta lepore;
  Prodiga nec nimii, nec tamen orba, cibi.
Sobria sic aevo vixit sapiente vetustas,
  Artificis probrum nescia ferre gulae.
Mox venit ad partes Indorum victor Iacchus,
  Iuncta racemifero nec male Musa Deo.
Adde bonos vultus, et lumen amabile visu,
  Et lautae frontem quae dapis instar habet.
Adde iocos risusque, et apertum pectus amicis.
  Ferreus est, si quem non domus illa iuvat.
Ipse quoque his capitur Medicêus sedibus heros;
  Parvaque magnanimum tecta tulere Ducem.
Arne pater, pater Arne, novem dilecte Deabus,
  Commoda tam festo quot tibi nata die!
Stagna meus spernat Paganinus inania Lethes:
  Vindicat a Parcis hanc pia Fama colum.
Vos modo, si precibus, Superi, locus, addite vitam,
  Addite; quam vati Musa dat aequa suo.

ELEGIA VII.

AD IOHANNEM FREDERICUM GRONOVIUM.

Non sic Ausoniae Genius, Federice, beatae,
  Illa Aganippaeis aemula terra iugis;
Non vitrei fontes, non Parthenopêis aëdon,
  Quaeque Dionaeam myrtus odorat humum,
Ut patriae me cura meae, genitorque relictus,
  Urit; et annosam vix bene ferre moram est.
Iam mihi Trinacrios steterat lustrare Sicanos,
  Qua Polyphemêis aestuat Aetna iugis;
Stagnaque sulphureos non periuranda Palicos,
  Et gratum liquidae gurgite Pergon aquae.
Vicit amor cari genitoris inutile votum,
  Et stetit in cursu sponte carina suo.
Ausoniam spectasse sat est: agnoscimus omen.
  Carbasa iam patrios nostra subite sinus.
Flava comas Arethusa, Elei Nympha Tonantis,
  Quae sale non tacta Dorida fallis aqua;
Ergo ego sim sine te, pulcherrima? nec mihi detur
  Culta magisterio tangere plectra tuo?
Serta Syracosiae nectant mihi nulla Camenae?
  Sedibus admittat non Erycina suis?
Non adsultantes de vertice metiar undas,
  Sive, Pachyne, tuo, seu, Lilybaee, tuo?
Vel qua spumiferam scopulosa Pelorias iram
  Nereos, et fractas caute superstat aquas?
Heinsiade, nugaris: agunt en carbasa venti.
  Sit pudor: invito vota fovere Deo.
Trinacria est, ubicumque pater. pater ipse Batavo
  Iam tibi Sicanias litore pascit oves:

Quas illi moriens Phoebei natus Iüli,
  Maxima Libethro fama, reliquit opes.
Hospita me revocet cantu licet illice Siren,
  Auribus imponat iam nihil illa meis.
Desine flexanimis, Acheloo nata, querelis
  Non audituram sollicitare ratem.
Desine. nequicquam surdo blandiris amanti.
  Quid iuvat illecebras perdere, stulta, tuas?
Stulta, trahit profugum patriae canor ille Thaliae.
  Voce tua melior vox mihi flectit iter.
Me meus Aoniis Gronovius induet ulnis.
  Ah pereat, si quem non manus illa trahit,
Digna vel Ausoniae Suada cultrice vetustae!
  (Quam procul a Latio nunc Venus ista suo est!)
De me, Dî, facile est, si rumpet stamina Clotho:
  Hanc modo continuet Parca benigna colum.
Ecquando mihi tempus erit, post dura viarum,
  Cum fruar amplexu salvus, amice, tuo?
Cum bene narrabis reduci mihi, quaeque saluti
  Quantaque libaris pocula quotque meae?
Saepe salutatis tua venit epistola nobis;
  Redditaque in caras crebra tabella manus.
Egit et hoc tecum Kinschotius; egit abunde
  Vlitius, ille animae tertia cura meae.
Vix duo praeterea de tot mihi nuper amicis.
  Cetera desultrix turba levisque fuit.
Dî tibi dent lectosque precor dignosque sodales:
  Dent sibi constantes, dissimilesque meis.
Posteritas hanc sera fidem mirabitur olim,
  Pace tui Pyladae, pace et, Oresta, tua.
Non Ixionides cum Mopsopio Aegida
  Solus ad infernos venit, amice, lacus.
Horrida me Stygiis Acherusias unda tenebris,
  Me premit ignava tristis Avernus aqua.

Proximus umbrarum sinus est, campique silentes.
  Huc tamen et fidam non piget isse manum.
Vix licet ulterius tibi pergere: deficit orbis.
  Sistimus hic socium quin, Federice, pedem.
Tu modo semotum merito laudatus amicum,
  Ut facis, adloquio perge fovere pio.

ELEGIA VIII.

CUM NEAPOLI LIBURNUM NAVIGABAT.

Aeole, cui nimbos regere obtigit, Aeole, ponti
  Per vada luctantes qui moderaris equos;
Alterno cohibe truculentos carcere fratres,
  Et faciles aditu sterne parumper aquas.
Aura ferens puppim da provehat: utilis aura est,
  Carbasus in Tuscam dum mihi tendit humum.
Innocuum serva caput, Aeole: parce merenti.
  Praeda necaturo non ego lauta mari.
Ah pereant, per quos alii periere: noceque,
  Si qua nocens rapto est, si qua cruore manus.
Non me formarum capiunt spectacula, non sunt
  Vota peregrinis consenuisse locis;
Curave distractis cumulandi mercibus auri,
  Aut bona possessis plura paranda bonis.
Musarum violentus amor, per iniqua viarum,
  Victaque tot terra taedia, victa salo,
Egit in Ausonium Troiani litus Iüli,
  Et rerum dominae Martia regna Deae.
Redde, precor, patriis complexibus, Aeole, natum.
  Dona tuis iam nunc quanta parata tholis!

Audimur. posuere Noti per amicius aequor.
  En mihi blanditas aura serenat aquas.
Otia Parthenopes, et amatum litus Iäccho,
  Litus Acidaliae non nova cura Deae,
Hospitium Nymphis Acheloïsin, ô bona tellus,
  Quam canor et thiasus turba sonora iuvant:
Fragrantes scopuli, Pindoque simillima Tempe,
  Enthea Phoebêi culmina Pausilypi,
Halitibus Zephyrorum et odoriferis myrtetis,
  Foetaque Penêae germine frondis humus:
Terque trium conspecte lyrâ Sebethe Dearum;
  Attica Bistonium qua gemit ales Ityn;
Transtra vocant: Sebethe, vale; quem dia per orbem
  Vexit Hyantaeo Musa Maronis equo.
O Vesvî vineta, ô pampineum Surrentum,
  O Tritoniaco termite pinguis ager,
Cui Dea bis frugum fecundo ridet in anno,
  Bis Pomona suas prodiga credit opes.
Non ego Lucrino vicina Dicarchidos arva,
  Non ego Baianas nomen Amoris aquas,
Non gratum Euboïcae Cumas penetrale Sibyllae,
  Antraque fatidici persona voce Dei,
Non te conspiciam posthac, mitissime Nereu,
  Paene magis, Nereu, litore blande tuo.
Ausonia tubicen qua Tros adopertus arena est,
  Nec procul hinc stanti torpet Avernus aqua.
Daulias Ismario crimen Philomela tyranno,
  Coniugis in nato quae scelus ulta tui es;
Daulias Aoniis imitatrix aemula chordis,
  Quam reor Heinsiacos iam didicisse modos;
Cura mei tibi ne precor excidat. hanc bene serva,
  Ah soror, ah coniux, ah miseranda parens.
Haec olim placuere. tument nunc carbasa vento.
  Quid trahit elapsas sera catena manus?

Nil agis illecebris: non sum tuus, improba Siren.
  Alterius Nymphae dicar oportet amor.
Nympha capi natum sibi vindicat altera pectus:
  Prima Charis patriae Nympha venusta meae.
Nympha decus formarum, et Apolline plena Batavo;
  Teque minus fallax, teque pudica magis.
Nil mihi iam tecum, nequissima. nil mihi tecum,
  Parthenope falso nomine dicta. vale.

ELEGIA IX.

EPICEDIUM FRANCISCI ROVAII POËTAE ETRUSCI.

Si quis amicorum Rovaiam plangis ad urnam,
  Quamlibet in flendo funere, parce queri.
Fama viri patrium spatiosa perambulat orbem;
  Ausonia patitur si tamen Alpe capi.
Maxima festinae solatia mortis adeptum
  Vindicat a Stygia turba sodalis aqua.
Fletibus Aoniis et Phoebêo ululatu
  Ad sibi constructos turba sonora rogos.
Flexanimum quos inter agunt ad sidera murmur
  Lingua Cavalcanti mellea, lingua Dati;
Et cum Gaddiade facundi Donius oris:
  Pectora Castalio bis duo sacra Deo.
Nec soli pietate tibi, Francisce, probentur;
  Me studiis totum demeruere suis.
Hos mihi confugium patria tellure remoto
  Dî, precor, ô fatis sit superesse meis!
Ligneus in coelum cumulatis agger acervis
  Creverat; aëriae subdita taeda pyrae.

Vix strue depasta subsederat ardua moles;
  Impetus est tepidis iam legere ossa rogis.
Ossa rogis iam lecta viri, mox scripta leguntur;
  Scriniaque in cupidam iussa venire diem.
Si qua movent raptum mortalia, iusta negabit
  Posse dari tumulo nobiliora suo.
At tu, Pegaseam meritus quicumque coronam,
  Et Clarium dextra verrere doctus ebur;
Ne nimium tibi fide: nocent et vatibus umbrae.
  Hic quoque Styx multum barbara iuris habet.
Imminet a tergo cantantibus invida Clotho,
  Et secat abrupta non sua fila lyra.
Quid tibi profuerit vigilatae cura Camenae,
  Nec tempestiva ducta litura manu,
Cum rapiant tenebrae damnatis scripta lucernis,
  Totque premant noctes Taenara nocte sua?
Piërios similesque tui conquire sodales:
  (Hac ope nitendum, Delia turba, tibi)
Ultima qui solvant victuros munera fletus,
  Ossaque cum sparso carmine sparsa legant.
Quod nisi vulgasses aeternam Aeneïda, Caesar,
  Assaraci Phrygium non legerere genus.
Ductaque per versas ter quinque volumina formas,
  Funere de domini quam bene rapta sui!
Arma virum nosset quis Pompeiana sonantem,
  Si Latio doctum Polla negasset opus?
Quid sanctus non praestet amor? fas rumpit Averni,
  Et formidatae Dîs vada tranat aquae.
Ismaris Eurydice, Rhodopaei cura mariti,
  E Rhadamanthêa prima rapina domo est.
Eumenis anguino non illum armata flagello,
  Tergeminaeque minax terruit ira ferae.
Post aliis eadem fiducia nata poëtis.
  Audit Apollineos ianua surda modos.

Ecce novo cultu Rovaius, et integer aevi,
  De Styge Taenaria, nec revocandus, adest.
Pone modum lacrimis, Etruria; pone: revixit
  Ille tui plausus et lepor ille tuus.
Cum posset famae se credere, maluit ultro
  Per sibi tam caras saecula ferre manus.
Rumpere ïo, Lethraea palus. de vate relictum
  Nil tibi, quod possis ducere iure tuum.
Ne rigidi leges inflexerit aeger Averni,
  Vivere per socias praetulit ille manus.

ELEGIA X.

CUM VENETIAS IAM PERVENTUM ERAT.

Altius hinc, Erato, iam tollere: magna sonamus.
  Quid trahis alternum, Piëri, lassa pedem?
Num tibi Poenini nocuerunt saxa maligni,
  Saxa procelloso semper aperta Noto?
An tibi Parthenopen fugienti caerula Doris
  Concita turbatas per vada movit aquas?
Tangimus Euganeos Idaea novalia colles.
  Iam prope decursam perfice, Diva, viam.
Phoebe, fave: tuus ille labor. recidiva canetur
  Dardanis Hadriaco nunc mihi Troia mari.
Quam neque fulmineis pugnax Germania castris,
  Pilaque Teutonica freta Latina tuba;
Hellespontiacae quam nec fera cornua Lunae,
  Armaque damnata perfida mota manu;
Non libertatis subsessor fregit Iberus,
  Non Capitolini tela trisulca Dei.

Quid memorem attonito minitantia culmina coelo,
  Templaque miratos aurea Solis equos?
Templa polum rutila Phoebumque hebetantia vena,
  Et tot congestas, quot velit orbis, opes?
Vive, triumphatrix Dea temporis ûnica, vive;
  Perque quot ivisti, per tot itura dies.
Te neque triverunt pereuntibus invia rebus
  Saecula, lassata iam duodena rota.
Non valuit Mavors evertere: quamlibet armis
  Iam tibi contiguam depopulatus humum.
Ipse licet rerum veniat pacator, ut olim;
  Nil agat Herculeae robur inane manus.
Surgite Pergameae, pia surgite culmina, turres,
  Quantus Abydenis finibus horror ïo!
Sensimus augurium: gemebunda Bosporus urna
  Mugit, et attonitis sternuit omen aquis.
Sume mares animos, gens Ilia. poscit Idume,
  Poscit ïo Solyme rursus avita capi.
Iam tremit expertos Byzantia terra triumphos.
  Iam tibi dat famulas, ceu dedit ante, manus.
Causa tibi, coelum tibi militat. en fovet ipse,
  (Vincere quid dubitas?) en vocat ipse Deus.
Neu te millenis exsternet carbasus alis,
  Barbaraque innumero remige mota ratis.
Ipse suos Neptunus aquis propugnat amores.
  Iam thalami pretium palma parata tui est.
Debita fer nuptae sponsalia, rector aquarum.
  Non potes Euganeos dissimulare toros.
Coniugis Hadriacae Teucros, Neptune, penates,
  Et, quos struxisti, sancte, tuere lares.
Munera si data sunt, pater, annua; plura dabuntur.
  I nunc, Dardaniam parce probare fidem.
At vos, emta Dei gens sanguine, sanguine Christi
  Emta, quid infandas asperat ira manus?

Cognato toties temeratum vulnere ferrum,
Si quis inest vobis, sit satiasse pudor.
Non serpentigenae Cadmeïa semina fratres
Fata per alternam sic subiere necem;
Aut quos Phasiacis concurrere vidit in arvis
Thessalus, intactae primus arator aquae.
Si pugnae tam pronus amor, tam certa cupido
Sanguinis, Odrysiae dilanientur opes.
Hic sese Mavors exerceat Europaeus.
Huc agat arma Deo iusta probante furor.
Threïciis victrix iugulis immergite ferrum.
Dira Palaestinam victima sternat humum.
Haec consanguineis praestanda piamina bustis:
Crimina fraternae sic abolenda necis.
Vix tandem erubuere. vides, ut in agmine murmur?
Tela verecundae iam posuere manus.
Sacra tibi, Pietas, en induet arma iuventus.
Eventura meo Delius ore canit.
Militet Iliaco natorum Antenore castris,
Et terat Eoas Hesperus ultor opes.
Sic Venetum dici se gestiat Hadria semper,
Bosporeoque neget libera colla iugo.
Purpureo sic cultu et maiestate togata
Gaudeat Ausonii Diva superba maris.

ELEGIA XI.

AD CASSIANUM PUTEANUM.

Forsitan adspectus Anieni blanda comantis
Margine pomifero nunc trahat unda tuos,
Qua se praecipitans scopuli de rupe sonori
Spumens albenti fervet in amne latex;

Aut qua Telegoni fatis inimica paternis
  Dextra suburbanâ moenia fixit humo;
Hic ubi fecundos exhalat leniter ignes,
  Et roseâ Zephyrus Chloride gaudet amans:
Albave, in Ausoniam translatae exordia Troiae,
  Vel Praenestini iugera laeta soli.
Appia marmoreis nunc conspicienda sepulcris,
  Nunc vocat Aemiliae gratior ora viae.
Et modo Daphnaea cessas, Puteane, sub umbra:
  Et modo miraris Virginis agmen aquae.
Nunc iuvat in rerum domitrices ire ruinas,
  Tectaque Romuleos Assaracêa lares:
Aut effossa paras decoris monumenta vetusti,
  Inque tuam transfers aere parata domum.
Ah loca felices quibus obtigit illa tueri,
  Et magnae gremio percaluisse Deae!
Ista iuvent, nam iure iuvant, Puteane, beatos,
  Parca quibus niveam legit amica colum.
At mihi te propter Româ procul ire molestum est:
  Indolis usque adeo tangor amore tuae.
Non iam, qui domino Tiberinus spectat ab alveo
  Per loca quaesitas, quot polus ambit, opes;
Martigenisque diu perarata Quiritibus arva,
  Arva novos mundo quae peperere Deos;
Non septemgemini rerum moderamina colles,
  Terrarum et Latio credita summa Iovi;
Non me Phoenissae pia cura Numicius Annae,
  Conscia nocturno non capit umbra Numae.
Vilis Aricinae Theseïus accola Divae,
  Et per Piërium quae tremit unda nemus.
Flavia siderei vilis mensura theatri,
  Vilis Acidaliâ myrtus odora comâ.
Martia iam sordent mihi gramina, gramina sordent
  Martia, luminibus non iteranda meis.

Da veniam, Puteane, nihil non spernimus horum,
  Cura tui postquam pectore fixa meo est.
O decus, ô nulla delebile nomen in aevo,
  Si quid amat dotes Ausonis ora suas.
Promerite o, Dircaeus olor quem concinat, et quem
  Tollat Maeoniae clangor in astra tubae.
Quid referam probitatem, et nectar amabile morum;
  Nec minus intactâ candida corda nive?
Te velit Uranie seclo decus addita prisco,
  Te lyra materiam quaelibet esse suam.
Praetereare tuo spretus, Messalla, Tibullo;
  Scipiade Rudio nec memorere seni.
Iam tibi, si qua fides, sit fastiditus, Horati,
  Sanguinis Etrusci regibus ortus eques.
Hei mihi, cur Liguris sulcamus inhospita ponti?
  Cur vocat in cupidos terra paterna sinus?
Ah quam non facile est, a te, Puteane, revelli!
  Displicet hoc uno patria nempe mihi.
Dividimur non sponte. iubent te fata relinqui,
  Fata moraturo non satis aequa iubent.
Huc quoque, dum medii iam findimus avia Nerei,
  Nerei impacatas Aeolus inter aquas,
Huc quoque (me miserum!) citream vagus attulit auram,
  Italiae seras vela sequentis opes.
Parce (morae sat ïo dedimus tibi) parce poëtam
  Urere deliciis, Ausoni blanda, tuis.
Si quid agis, profugae Puteanum siste carinae.
  Da, precor, hunc nobis. cetera tolle tibi.

ELEGIA XII.

ITALIAE ET MUSIS VALEDICIT.

Poscimur in patriam: patriâ iam vivere tempus.
  Huc vocor invitus, terra Latina, vale.
Terra vale dilecta. tui me cura sequetur.
  Scilicet id, posthac quo tibi sistar, erit.
Tu quoque vive mei memor, Ausoni. perstet utrimque,
  Teque mihi socius, me tibi, iungat amor.
Auribus hausisti si quid modo plectra benignis
  Extera, nec sordet nostra Thalia tibi,
Ille ego Piëriae conspectus flore iuventae,
  Iudicio vates debita fama tuo.
Quem nec Hyantaea viridantem tempora lauro
  Ad superos plausu ferre gravata tuo es.
Haud aque mea Musa suis decorata Batavis,
  Plus tibi, quam patrio debet honora solo.
Quae nisi me movcant, Scythicae feritatis abundem,
  Simque Lycaonii crudior axe poli.
Quicquid id est, sis, Diva, memor. me dividit aequor,
  Aequor ab Ausonĭa triste revellit humo.
Nunc Batavae Dryades, qua desidis ultima Rheni
  Non bene caeruleis stagna negantur aquis,
Lugdunum spatiosa suis nunc induet ulnis.
  Illa mihi patria est, nec pudet, illa domus.
Quam sua libertas, dominis obnisa lupatis,
  Haud tulit Asturio subdere colla iugo.
Nec Ganda Heinsiacis memoraberis unica cunis.
  Dî melius! famula non ego natus humo.

Nutriat inflatos tibi pinguis Iberia vates.
  Hos fac suspicias: hinc tibi plausus eat.
Parcior ingeniis servilibus adflat Apollo
  Pectora: totus agit libera corda Deus.
Me mea Lugdunum sibi vindicet: illa moretur,
  Illa trahat, civem me probet illa suum.
Atque aliquo citharae numeros memorante Batavae,
  Sive tuos, Groti, sive, Secunde, tuos;
Dî, facite his addar non ultimus; et mihi ridet
  Fama per Aöuium conciliata nemus.
Viderit id Paean, quo nunc agitante calemus.
  Cernis, ut adflato spiret in ore Deus?
At quia Phoebêa Latii regione carendum est,
  Emeritam paries fer monumenta lyram.



NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

ITALICORUM

LIBER ALTER.

AD VIRUM CLARISSIMUM

CAROLUM DATUM.

3

VIRO CLARISSIMO,

CAROLO DATO,

Patricio Florentino,

NICOLAUS HEINSIUS

S. D.

Urbi vestrae cives tam manu promtos, quam praestantes ingenio, numquam defuisse quis ignorat, Date iucundissime, nisi qui aut in historiis est hospes, aut eruditionis gustum non habet? Sed ut laudem, qua polletis, bellicam, utque armorum, priscam quidem in vobis illam, necdum tamen obsoletam gloriam commendandam aliis relinquamus, fatendum interea est doctrinae ac ingenii palmam à nulla Italicarum civitatum vestrae praeripi, etsi longe nunc minori, quam olim, incolarum celebremini frequentia. Adeo quidem, ut anxio ulcisci conatu insignem hanc fatorum iniuriam videamini, deque orbitate ac solitudine vestra quodammodo triumphetis, et quo civium decrescit magis in dies atque attenuatur numerus, eo constantius per iacturae angustias illas continua ingeniorum ubertate eluctemini, nec rari inter paucos emineatis ob egregias dotes posteris non uno praedicandi saeculo. At vero sub aeternis Medicêi nominis auspiciis cum instauratae olim sint per Etruriam scientiae, sub iisdem quidni limites

nunc suos ac pomoeria latius extendant? Duabus, quas in Italiam suscepi, profectionibus cum regionis amoenitate ac Genio multum captus sim, nullus tamen illic terrarum tractus offerebat sese mihi, cui perlustrando plus temporis impenderim, qui voluptate me adfecerit maiori, quam vester ille. Quantum benevolentiae, quid comitatis sim in vobis expertus, si perceuseam, neque sit huius loci oratio, et immane quantum excrescat: nedum ut praestita mihi a singulis officia commemorari ordine ac recenseri se nunc patiantur. Nec ut inquilinum habuistis advenam, aut extraneum, sed in sacra ac penitiora Academiae utriusque penetralia admissum utriusque civitate, ut sic dicam, donatum, et praestantissimo adscriptum ordini, Apathistae etiam munere auctum atque ornatum, non benignissime tantum fovistis, sed dissertationum quoque mearum frivola, quoties a me verba fierent, attentis excepistis auribus. Mei autem demerendi hoc singulare studium quamquam aliis popularium tuorum nonnullis commune tecum fuit, patere tamen, quaeso, ut agnoscam, tibi prae reliquis omnibus hic multum me debere. Sanctam mehercules habebo semper Iohannis Baptistae Donii memoriam, non tam suo nomine, (etsi hoc quoque) aut quod Frescobaldos, Cavalcantes, Gaddios, Cultellinos, alios urbis vestrae viros praecipuos mihi conciliavit, quorum amicitiam feci hactenus et faciam porro maximi, quam quod tibi me coninnxit, mi Date; cuius opera in notitiam ac familiaritatem plurimorum apud vos hominum eximiorum mox irreperem. Nam ut Serenissimum Leopoldum ab Etruria praeteream, Principem omni laude cumulatissimum, cuius sacras virtutes ieiuna hic oratione profanari nefas sit maximum, ut Iacobum

Salviatum, Iuliani Ducem, non taugam, Etruscae poësios lumen immortale: quidni in te observem ac colam Strozzas fratres, Capponios. Rinuccinos, Oricellarios, Guidaccios, Maruccellios, Giraldos, Ceffinos, Ricasulos, Cinos, Erminios, et quicquid praeterea excellentium inter vos ingeniorum? Quorum consuetudinem tibi partim, partim Comiti Ferdinando del Maestro, viro disertissimo, refero acceptam; et hunc quoque totum tibi. Quid de Valerio Chimentellio, homine omni litteratura perpolito, dicam? Cuius hospitio amanter una nos exceptos, cum anno proxime elapso Pisas mecum te contulisses, meministi. Quid de Iohanne Pricaeo? qui ingens civitati vestrae ornamentum ex ultima nuper accessit Britannia. Poteram et coeli Florentini clementiam multis commendare, et in alias patriae tuae laudes excurrere, sed metus iampridem iustissimus est, si vestra omnia nimis operose commendem, ne mihi potius ipsi, quam tibi, blanditus atque assentatus esse deprehendar; neve huic libello, cum maiori ex parte apud vos sit natus, tamquam Etrusco, occulta praedicatione patrocinari astute videar. Ego vero etsi probe capio atque intelligo, quam nihil te dignum prae se ferant hae Musae, alius tamen vix nunc occurrebat, in cuius clientelam confidentius ac iure maiori transirent: sive tuum erga res meas adfectum verè incomparabilem intuear; sive beneficiorum assidue in me collatorum sit habenda ratio, sive denique ad partes iudicii limatissimi vocetur acrimonia, et in scribendis versibus rara felicitas, qua nemini hac tempestate concedis: praesertim cum vernaculus sermo ad poësin excolendam te invitat. Quare, cum persuasum habeam, natalis soli urbanitate illa eximia prorsus indignum esse hunc foetum, et ab

elegantia patriae suae multum degenerare, tui quaeso patrocinii tuaeque adoptionis beneficio nihilominus referat acceptum, ne Florentinus negari omnino possit. Vale. Exarabam Lugduni Batavorum Anno cIↃ IↃC LIII. Kal. Septembr.

ELEGIA I.

AD CHRISTINAE AUGUSTAE LAUDES SE PARAT.

Aurea Libertas, me iudice prima Dearum,
  Iam mihi servitium mite paratur; abi.
Servitium, Dea, mite. terunt en vincla lacertos;
  Quis si me expedias, haud tuus esse velim.
Liberius nexu nihil hoc datur. ite, Batavi,
  Martia gens, famulo gens inimica iugo.
Tempore quîs tanto, tanto quîs sanguine constat,
  Lege (nec invideo) vivere posse suâ.
Patria, da veniam; non sum meus. avocat aequor
  Et rapit e gremio Maenalis Ursa tuo.
Magna viae merces, dextram tetigisse faventem,
  Clarius in lato qua nihil orbe, Deae.
Non Pater armiferi domitor Germanicus Istri;
  Non modo Sarmatici nominis horror Avus;
Ales Hyperboreis cumulatos Fama tropaeis
  Quos memori longum posteritate canet.
Sanguinis ecce fides invicti regia Virgo,
  Nobile naturae se superantis opus,
Sistit Apollineo profugas Helicone per Arcton,
  Et lare frigentes et fovet aere Deas.
Tempus ïo (valeant ingrata silentia, Musae)
  Tot meritis sacrum ferre sub astra caput.
Primus ego Aöniam (faveas modo, Phoebe) per umbram
  Nomen in Augustum, pectine fretus, eo.
Haec citharae laus nata meae. licet inde sequantur,
  Quos aget adflatu nobiliore Deus.
Verba suis nuper numeris non vincta parabam,
  Perque magis facilem fama petita viam est.

Pegasei non cura, sitis non ulla, liquoris;
  Iamque procul plectrum, iam prope fortis eram.
Comiter increpuit Virtus Augusta tepentem,
  Et positum culto pollice rasit ebur.
Numinis imperio succumbimus. aequor arandum
  Rursus, et emeritae fila terenda lyrae.
Maxima regnantum, Clariae tutela cohortis,
  Vindice qua terris est bene, sitque diu:
Annue, daque manum timidis, Augusta, Deabus;
  Et sine eant, Genii quo vocat aura mei.
Nil prius est mihi laude tua. licet ipsa recuses,
  Ipsa licet nolis; hinc bene carmen eat.
Fac populo, sis quanta, palam; prodique latebra:
  Sin minus, ostentant te tua sceptra tamen.
Regia personam capiti Fortuna modesto
  Detrahit. invitae lux toleranda tibi.
Quod nisi sunt operum tibi taedia, teque gravaris;
  Maxima si virtus non onerosa sibi est;
A tantis absit meritis rubor. incipe plausus
  Ferre pios: titulis annue victa tuis.
Sic, nisi Cumaeae post vix numeranda senectae
  Tempora, post Pylii ter geminata ducis,
Te sibi nec sperent, patrii bona funeris ultrix,
  Invideant hilari laeva nec astra solo:
Terraque (quod miti morum pietate mereris)
  Sera gemat raptam, sera requirat humus.
Ferrea sic Geticis dent tergum saecla triumphis:
  Sic tibi pacato Mars sit ab orbe procul.
Praeside te Paean, te praeside Pallas ametur;
  Te suus Aönisin praeside constet honos.
Vel magnum fecisse nefas laudanda putato,
  Debita vel factis praemia disce pati.
Denique, ne restet quod vincas, vince pudorem.
  Eia age, da palmis meta sit ille tuis.

ELEGIA II.

MAGNI ETRURIAE PRINCIPIS COSMI MEDICEI NATALIS DECIMUS.

Sacra dies, salve; decimam cui libat acerram
  Nominis Etrusci maxima vota puer.
Spes totas, fatum omne sui cui credidit Arnus;
  Itala laetitiam credidit ora suam.
Tura tibi Pylios redeuntia dentur in annos.
  Tu modo magnanimum fac tueare caput.
Cosme, tuum nomen, rebus fatale gerendis,
  Principis in famam te iubet ire boni.
Sanguinis auspicium nec habes leve. sanguis utrimque
  Laudis agat stimulo pectora, Cosme, suae.
Hoc Pater, hoc Patrui, gens hoc Medicêa, requirunt:
  Gloria Feltriacis hoc pia Mater Avis.
Iam tibi credenda est Etruria. respice, quanti
  Ponderis hos humeros, quam grave tangat onus,
Fertilis ingeniis Etruria, fertilis armis,
  Terraque Palladiâ non semel arte potens.
Accedat meritum natalibus. indole praesta,
  Ne debere atavis te videare tuis.
Sceptra paret Virtus. alienâ turpe putandum est,
  Ipse tibi possis quod dare, ferre manu.
Moribus imperium, non sanguine, prima mereri
  Gloria: ne gratis constet emendus honor.
Moribus imperium redimas bene, publicus arcte
  Hoc sibi te nexu conciliabit amor.
Ire per annales, per apertum laudibus orbem,
  Aeternaque iuvet posteritate frui.

Trita terenda via est. vestigia, Cosme, tuorum
  Aspice: quam deceas aspice, Cosme, domum.
Parca parem meritis tantum neat aequa senectam;
  A virtute petes cetera fata tuâ.
Per te, iam Proavos ubi viceris, incipe vinci;
  Quaeque feras populo, fer tibi iura prius.
Sufficis augurio. sat Dî cavere superque,
  Indole ne voveam nobiliora tuâ.

ELEGIA III.

IN EXSEQUIAS PETRI PUTEANI.

AD IOANNEM CAPELANUM.

Etsi me genitor Musae tenet Arnus Etruscae,
  Arnus Apollineâ nobilis unda lyrâ;
Et modo foecundam tot miror vatibus urbem,
  Et modo finitimi rus geniale soli;
Mens tamen omnis abest ad Celtas versa penates,
  Inque Capelani pectore fixa sui.
Hic gratam studiis requiem gratamque labori
  Invenit: hic curis portus, amice, meis.
Te licet Aureliae pia Virginis arma morentur,
  Castraque femineâ caesa Britanna manu:
Magna sonaturam (precor) amolire Thaliam:
  Da procul heroi sit tibi cura pedis.
Nunc opus est elegis; elegis opus. illa dolori
  Aequa meo Musa est; convenit illa mihi.
Ibimus in lacrimas. Puteano carmina rapto
  Poscimur. invidiâ, Mors, iacet ille tuâ.

Muta premuut viduos domino lamenta penates,
  Atriaque Aönio semper aperta choro.
Cortinae quâ, Phoebe, tuae sine fine sonabant,
  (Me miserum!) dispar quam domus illa sibi est.
Hauriat hos gemitus facili pater Arnus ab undâ.
  Fallimur? an rapidae lentius itis aquae?
Nec sic tangit amor, mihi quo, Puteane, superstes
  Iunctus eras, quamvis hic quoque tangit amor;
Ut solidi vallo munitum pectus honesti:
  Cordis ut invicti robur: ut illa fides:
Ut frons, obsequii fuco non tacta dolosi:
  Parque suis animis, par quoque lingua sibi:
Ingenuusque rigor, qualem nec in ore Catonis
  Martia laudavit Roma, piique Numae;
Ut dignum genitore decus magnoque Thuano
  Sanguinis: ut paci mentis amica quies.
Cuncta movent lacrimas; lacrimis iactura levatur.
  Certior in tantis nulla medela malis.
Quod superest laudi, pro me monumenta loquantur,
  Nunc quoque quîs patriae vivis in ore tuae.
Quolibet illa magis monumenta perennia saxo,
  Utilis historiae temporibusque labor.
Fata domant chartae, non interitura supellex.
  Atropos hic victam tendit avara colum.
Multus in his post te spectabere. nulla vetustas,
  Nulla tibi meritum reddet inane dies.
Grataque dat nobis solatia Frater, ademti
  Maxima qui superest pars, Puteaue, tui.
Spirat adhuc morum concordia, spirat utrimque.
  Iuris in hanc habuit Parca profana nihil.
Fratris iu alternos veneramur imagine vultus.
  Tam bene te nequeas ipse referre tuis.
Ille animam apposito fugitantem admisit in ore
  Decolor, avelli visus et ipse suâ.

Ille tibi exsequias, et iturum in saecula bustum,
Tutaque ab aetatis dente sepulcra dedit.
Sic et Amyclaeos ab Averno gurgite fratres
Mutuus invito Dite redemit amor.
Sidera Amyclaeos nautis placidissima fratres,
Et numquam dubiae non bene visa rati.
Denique, ne toto viduus sibi fratre putetur,
Nunc pro te fruitur laudibus ille tuis.
Floribus en tumulum Cyrrhaea per avia lectis
Spargit, et Aöniâ turba sodalis aquâ.
Fructus amicitiae pulcherrimus obtigit umbris;
Inferiis vacuum ne tibi funus eat.
Et bene habet, quod morte tua memorabere felix;
Ne foret immerito bis patienda tibi.
Haud temerata diu pia lumina sontibus armis
Ad consanguineum succubuere nefas:
Et tantum metus iste fuit. laetemur ademtam;
Flebilior quavis nunc nece vita foret.
At tu, tam clari quid nescia funeris haeres,
Versa tuas in te, Gallia caeca, manus?
Noxia quam tabo populari pascit Erinnys:
Attonitum Stygio cui secat angue latus.
Huc ades, huc. si cura tui tibi nulla medetur;
Crede sacram, tegitur qua Puteanus, humum.
Certa solo constet reverentia. sanguis ab urna
Omnis eat procul hac, hac procul omne scelus.
Otia si bellum lacrimis civile negavit;
Publicus abrupit si pia iusta furor;
Non intellecto nunc saltem cede dolori,
Ferrea, nunc laceras, Gallia, velle comas.
Sat Furiis, miseranda, tui Parcisque dedisti.
Plurima Taenariam quid gravat umbra ratem?
Proiice cognato saturatum sanguine ferrum.
Auspiciis miseram sit pudor esse tuis.

Ergo alius non est, alius, malesana, negatur,
  Qui tibi sanguineo Marte triumphus eat?
Usque adeone ferus Thrax occidit? hostis Idumen
  Totque erepta tibi moenia nullus habet?
Nec longe quaerendus Iber, latus ense cruento
  Qui petat. hac melius laesa ferêre manu.
Quo tot in Atvatico sudatas pulvere lauros?
  Quo Pyrenaeis claustra revulsa iugis?
Stagnaque Teutonici populata bicornia Rheni?
  Anne, invicta aliis, ut tibi praeda fores?
Dî melius! Dî bella procul scelerata relegent:
  Inque tuos hostes hoc, precor, omen eat.
Sin minor est medicina malo; dirusque peredit
  Effera fraternae viscera caedis amor;
Da saltem votisque locum lacrimisque tuorum:
  Et mea sit pietas non odiosa tibi.
Haec moveant te iusta; trahant haec pignora nostri,
  Gallia funcribus non satianda tuis.
Ipse det Elysiis veniam Puteanus ab umbris:
  Defleri cineres gaudeat ipse tuos.
Magna boni civis Puteanus fama togaeque
  Aequâ posthabitum se tibi mente feret.

ELEGIA IV.

AD IOHANNEM LUDOVICUM BALZACIUM.

Si, quid agam, te vota tenent, Ludovice, doceri,
  Quasque colam sedes, quo vagus orbe ferar; —
Magnae etenim meque esse tibi meaque omnia curae
  Missa probat Latiis Musa diserta modis.

Illa nimis verax funesti nuntia Martis,
Quae mala flet patriae tam bene fata suae,
Materiâ facunda velim meliore daretur.
Hei mihi, sors potior quod mea sorte tuâ est! —
Mitia Pïeriae meditantem commoda Pacis
Itala complexu me fovet ora suo.
Itala, vix iterum lustro iam paene peracto
Visa meis oculis, nescia Martis, humus.
Sive ego Romanae cineres Virtutis adorem,
Et rerum dominae funus, amice, Deae.
Lumina sive Anio mihî caligantia praeceps,
Albaque Telegoni cum lare blanda, trahat.
Sive, ut nunc, Arni Clarium proiectus ad amnem
Carmina non patria voce Latina sonem.
Dum consanguineos furiali lampade Celtas
Ebria cognatâ caede Megaera premit;
Borboniamque domum Stygiis circumtonat hydris;
Praedaque sacrilegae Rex puer apta Deae est.
Qualis Agenoreis excepta penatibus olim
In caput armavit se, Melicerta, tuum.
Infelix Melicerta, Inoï poena furoris;
Numina si sinerent te miserata mori.
At vobis sit terra gravis, quotcunque nocentes
Civili in patriam Marte iacetis humum.
Heu quanti Asturio poterant ex hoste triumphi,
Quantum illo licuit sanguine laudis emi!
Arma nimis magno constant tibi. parce, precamur,
Impia visceribus condere tela tuis.
Parce tibi miserae, trux Gallia. poscit id ipse,
Ipse tuis furiis se satiavit Iber.
In palmam hic hostis nisi sufficit; ecce Britannos.
Auspice te saevum gens luat atra scelus.
Carnifices Regum fas oppugnare Britannos.
Manibus inferias det cruor iste tuis.

Tam iustis civile nefas abolebitur armis.
  Hac dominas placa, Gallia, laude minas.
Hac laesam pietate fidem nisi promta rependis,
  Quanta per annales fabula semper eris!
Vestrum opus est, Reges, populo dare bella nocenti.
  Vos in tecta faces ferre Britanna decet.
Vos aequare solo divulsos sede penates;
  Ne qua malae pubis sint monumenta super.
Atque aliquis dicat, desertam radet ut oram,
  Navita: Dîs poenas gens ea iure dedit.
Libertas armata nefas en damnat, et odit
  Regia consuetas colla secare manus.
Lumine vos lento spectabitis, ultor in hostem
  Quantâ sacrilegum puppe Batavus eat?
Funera quot volvat, quantum bibat unda cruoris;
  Quam dubio gravidae Marte premantur aquae?
Vos sopor et Stygiae vetet indulgentia noxae
  Asserere intrepidâ regia iura manu?
Si vester sibi vilis honos, miserescite coeli;
  Et laesos meritâ caede piate Deos.
Quando erit, ut circum navali cincta coronâ
  Trompiacas cantem Martia texta rates?
Velaque in Oceani tergo lacerata Britanni,
  Sparsaque sanguineis transtra ferantur aquis?
Stragibus innumeri cum corporis innatet Orcas,
  Perque Caledonium funera litus eant?
Cum gemitu orbarum pulsabitur insula matrum,
  Et viduae scindent unguibus ora nurus?
Funereos gavisa sonos imitabitur Echo.
  Laeta resultabunt planctibus astra suis.
Iam facibus videor rutilantem cernere pontum;
  Debitaque aequoreis carmina ferre Deis.
Victima regali dudum devota sepulcro
  En cadit. inferiis gaudeat umbra suis.

Augusti Lethaea bibunt oblivia manes
  Sanguine in optato, seque perîsse iuvat.
Nunc licet exsultes, Rex optime: iusta feruntur.
  Hoc tibi Libertas sacra cruore facit.
Laeta Thetis virides inter micat aequore Nymphas:
  Et raucâ Triton voce, Triumphe, canit.
Siste suae, Nereu, scelerata cadavera ripae;
  Nam pia tam foedum non capit unda nefas.
Redde bonae quaeso sua pignora, redde, parenti.
  Praeda canes, rapidas praeda morentur aves.
Sic foveat diros incesta Britannia partus;
  Sic reduces spectet fluctibus aegra tuis.
Qualis in aërium cum Pelion iret Olympum,
  Ossaque Peliacum devia ferret onus,
Armatos experta Deos tonitruque iuventus
  Matris in amplexum venit adusta suae.
Haec totos ego mente dies mihi gaudia fingo,
  Et spe non dubiâ iam, Ludovice, fruor.
Haec spectare iubent Dî gaudia. sunt etenim Dî;
  Et scelera haud aequo lumine tanta vident.
Fraternis agitata odiis et Marte pudendo
  Gallia dum curas occupat una tuas,
At bene, Socraticae quod dant solatia chartae,
  Plenius ex ipsa Pace petenda tibi.

ELEGIA V.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM LEOPOLDUM AB ETRURIA.

DE NATALI EIUS.

Tyrrhenae, Leopolde, domûs certissime sanguis,
  Maxima Pegasei laus, Leopolde, chori;
Maecenas redivive, pater quâ prole superbit
  Arnus, et Aöniae nil modo cedit aquae:
Cernis, odoratos ut quaelibet ara vapores,
  Quaelibet ut festas ventilet ara faces,
Dum patriis fert tura Deis urbs tota merumque,
  Blandaque pro capitis vota salute tui?
Publicus ecce dies, qui te virtutis avitae
  Grande iubar populis praesidiumque tulit.
Gaudia testatur merito sua; iure senectam
  Nestoreosque vovet plebs tibi grata dies.
Nec dubium, pietas Superos quin tanta tuorum
  Tangat, et has frustra non sinat ire preces.
Me quoque, longinquo genitum licet orbe clientem,
  Qua Batavam Tethys caerula tundit humum,
Me quoque Apollineis dare dona sonantia templis,
  Verrere me Latiam fas, Leopolde, chelyn.
Nomine non uno, non una compede pridem
  Quem trahis adstrictum, si tuus esse negor:
At iunxere tibi me Pïeridesque decusque
  Pïeridum Paean, me tibi iunxit ebur.
Iam lyra cantatur Clariis Medicêa Deabus.
  Ipse tuo gaudet Cynthius ore loqui.
Capta sono blandae testudinis haeret, et inter
  Castalis immemores currere plaudit aquas.
Hei mihi, quod parcâ maduerunt guttura lymphâ,
  Alite Gorgonei quae pede fluxit equi!

Hei mihi, Maeonio quod non datur ire cothurno!
  Laudibus est impar quod mea Musa tuis!
Tange tamen chordas age, Pieri. Saepe voluntas
  Muneris orba Deos, sit modo promta, capit.
Saepe capit, rupto taurorum gutture centum,
  Victima Tarpeium non minus agna Iovem.
Plectra parent alii Mediceis foeta triumphis;
  Perque tuae titulos pectine gentis eant.
Si mihi se totum Deus ingerat ipse canenti,
  Et tonet aerato ferreus ore sonor,
Non ego Laurentem, (Tuscis quo vindice terris
  Barbaries volucri cedere iussa fugâ est)
Ingentesve canam Mavortia fulmina Cosmos,
  Victorem toties hostis utrumque sui.
Delia te, Leopolde, crepent mihi plectra, sed unum;
  O decus, ô magnis gloria maior Avis.
Artibus ingenuis, quas robore protegis omni,
  Principe dos non est dignior ulla viro.
Haec datur, haec par est virtutibus unica merces;
  Vosque Deis aequat laude vetatque mori.
Qui semel Aönio stimulatur numine mentem,
  Funeris ignaros ducit in orbe dies.
Non illi sortem Minoïas urna severam
  Versat; inexpletum non subit ille Chaos.
Avertitque minas, et in haec trux stamina Clotho
  Iuris avaritiae nil dolet esse suae.
Sola rogi victrix ea gloria, sola perennat.
  Cetera Lethaeis praeda parantur aquis.
Ipsa Lycaönios quae frenat dextra Triones,
  Teutonici terror maximus illa soli,
Iungere laurigeris Parnasia sacra triumphis
  Aemula Cecropiae gaudet honore Deae.
Nec patrio plus laudis habet Mavorte per orbem,
  Quam quod ab adserto fert Helicone decus.

Vaticinor, Leopolde: dabunt te saecula terris.
Semper in ore piae posteritatis eris.
Tu modo te praesta similem tibi laudibus istis,
Qua datur, et meritum fac tueare tuum.

ELEGIA VI.

IN OBITUM ILLUSTRISSIMI PRAESULIS CAROLI MONSCHALLI.
AD BERN. MEDONIUM SENATOREM
TOLOSANUM.

Annua, Medoni, prope fit mora; Delia pernox
Lustrat humum volucri iam duodena rotâ:
Semper iniqua viris praestantibus Atropos, ex quo
Grande quidem, solitum sed tamen, ausa nefas,
Monschallum terris lugentibus abstulit atrox,
Et meritam rupit saecula ferre colum.
Illum autem Elysii Tempe fragrantia colles,
Arvaque perpetuo florida vere fovent,
Humanae miserantem animo ludibria sortis,
Spesque metu gravidas, spe gravidosque metus.
Nec, praestent si fata viam, velit inde reverti;
Et par supplicio munus, amice, putet.
At te continuo lacrimarum rore fluentem,
Monschalli memorem te sine fine tui,
Maestaque frigenti iactantem carmina busto,
Et surdi scopulis nomen inane viri,
Laomedontêae nurui fax Lucifer audit
Praevia; in Eois Cynthius audit equis;
Audit et occumbens Tartesside pronus ab unda;
Expers aequoreae Parrhasis audit aquae.
Nec miser admittis solatia. pabula menti
Una piae fletus sufficit, una dolor.

Suntque voluptati suspiria: planctus amatur
  Perpes; et in morem versa querela tibi est.
Cur invisa tamen medicina perutilis aegro?
  Vulnera tractari cruda quid usque timent?
Exorare nefas Lachesin tibi. siste dolorem,
  Siste: ferox lacrimis pascitur illa tuis.
Tot gnatos vatum ipse Deus, tot planxit alumnos.
  Taenaris Aöniam negligit aula chelyn.
Quid fera Lethaeo cumulas convitia posti?
  Iurgia quid Stygiae nectis amara serae?
Non cum mille tibi recludat ahenea linguis
  Adstrictas solido vox adamante fores.
Occidit ille mihi quoque flebilis, occidit, eheu!
  Nec sine singultu raptus, amice, meo est.
Et mihi, Medoni, favit quoque: me quoque amantem
  Haud tulit aversa mente; nec ipse negas.
Et, tibi dum meditor solatia, lumine pleno
  Lapsa rigat madidas nunc quoque gutta genas.
Sed quota moerentum duo pars sumus! ecce Tolosam:
  Orba parente gemit docta Tolosa suo.
Mugit Aquitani lamentis ripa Garumnae,
  Totaque funesto Gallia tacta malo.
Vindice fraudatas Tritonia plangit Athenas.
  Haeret in obtuitu cladis Apollo suae.
Piëris humectat Pimpleïda fletibus umbram;
  Fletibus Aönias Piëris auget aquas.
Moeroris facies est publica. tu tamen usque
  Fata quid insimulas fraudis iniqua suae?
Persephonen lacrimis offendere parce protervam,
  Et nimium promtas in tua damna manus.
Iam gravis hac pietate Deae es: iam pectore lento
  Invidiam moesti sat tulit illa soni.
Iacta lues magno convitia. pronus in iram
  Vindictae cupidas volvit Avernus aquas.

Quae potuere dari, morituro fata dederunt;
  Nomen ab arsuris ferret ut umbra rogis.
Nomen adhuc superest. hoc uno carpitur aetas,
  Et Rhadamanthêi iura maligna fori.
Fama viro constat. properati flebile crimen
  Staminis excusat laudibus ille suis.
His datur exuviis, atque hac in imagine, nobis.
  Hac, veluti praesens, parte colendus erit.
Atque utinam penitus peredentem languida curam
  Pectora decipiat terra Latina tibi!
Dî faciant, hîc sim tibi nunc comes! Itala flentem
  Te mihi laetanti quam bene sistat humus!
Mille ferat saevis fomenta doloribus almi
  Ille soli Genius: forsan et ipse feram.
Nos modo Parthenope magni memoranda Maronis
  Funere, Campani nunc trahat ora maris.
Romaque adhuc veteres spirantia busta triumphos,
  Prisca suas vivum Roma cadaver opes,
Ruderaque exhibeat miranti proxima coelo.
  Blanda suburbani nunc vocet aura iugi.
Albanive lares, Anienave regia Tibur,
  Prataque quîs Laurens laeta superbit ager:
Telegonique parens quo Telegonusque recessu
  Haesit, et Egeriae conscia silva suae:
Quîsque recensendis non iam locus. inde teratur
  Aemiliam sternens Flaminiamve silex:
Vel Ligures saltus, vel haruspicis atria Tusci,
  Cultaque in Enganeo Pallas, amice, solo.
Interea comites fallant iucunda poëtae
  Tempora, quos Latium, Graecia quosve tulit.
Perque vices citharam, platani genialis in umbrâ,
  Ipse meam pulsem pectine, tuque tuam.
Excutere haec luctum poterant tibi: ferreus aegro
  Spernere ni placidam pectore pergis opem.

ELEGIA VII.

AD RADBODUM HERMANNUM SCHELIUM.
DE VITAE PRIVATAE COMMODIS.

E quibus haec adsit, si quaeris, epistola terris,
  Litore Tyrrheni fertur ab usque sali.
Nec manus auctorem non prodit, et Heinsia Clio
  Luminibus Schelî iam bene nota sui est.
Discere si rerum quid agam cupis, otia Paean
  Fallit, et haud tacitae Pieris arte lyrae.
Adloquor interdum vos, quotquot abestis, amicos;
  Et venit ad partes hic quoque Musa suas.
Aut numerosa tero vatum monumenta priorum,
  Naso nec ingratam me duce sentit opem.
Sic bona iam vitae pars fluxit. at Atropos aequo
  Fila trahit fuso splendidiora tibi.
Sarcina te patriae non detrectanda rogantis,
  Aequora dum fervent Marte Britanna, tenet.
Nititur his humeris, hoc fixit pectore sedem,
  Teque premit totâ publica mole Salus.
Sanguinis accedit laudi praeclara togatae
  Gloria, par meritis vix tamen illa tuis.
Additur et Graiâ Sophiae mens pasta medullâ,
  Et Latii torrens flumine lingua soni.
Prospicit haud deses sollertia rebus agendis;
  Area consiliis et patet ampla tuis.
Se tibi commisit, nulloque decentius umquam
  Credita Libertas ore Batava loqui est.
Quem te Dî patriae custodes, candide Scheli,
  Praecipuum rarâ dote dedere virum.
At mihi quae fuscant curarum nubila mentem,
  Bellerophontêae diluit humor aquae.

Ista breves faciunt mihi sola negotia somnos.
  Hac patriae nitor consulere arte meae.
Saevus Iber praedatus opes invasit avitas
  Omniaque eripuit, quae potuere rapi.
Non valuit Musas auferre domestica nobis
  Numina, non Clariae fila sonora lyrae.
Nudam hostis virtutem et egentem veste reliquit.
  Hac ego, ne desint cetera, dote fruor.
Haec avus in sedes devexit sacra Batavas;
  Quae domus invidiâ nostra fremente colat.
Arma egere nihil, victor, tua. divide praedam:
  Haec onus, haec tantum sarcina vilis erat.
Salva manet nobis nec laesa tyrannide virtus;
  Et viret, et de te saeve triumphat Iber.
Contemtor Fortunae animus, contemtor honorum
  Est mihi: quas Erato larga ministrat opes.
Divitias inopi sat magnas fata dederunt,
  Quod mea paupertas non onerosa sibi est.
Haud mihi mens, Superos opibus lassare rogandis;
  Quaeve palam pudeat vota tulisse fero.
Placatura Deam nec perdo tura superbam,
  Non bene quae dubiae nititur orbe rotae.
Irritus aversae cur blandiar? anne clientes
  Fallere consuetam praestet ut illa fidem?
Non, ut Iber rursum instet atrox, inhiantia praedae,
  Mente minus placidâ, quam decet, arma feram.
Crastina nec melius si quid promiserit Eos,
  Stulta terat noctem spes mihi, stulta diem.
Denique, dona datis si Dî potiora pararint,
  Deprecer, et curtae tangar amore rei.
Hic mihi dum superest animus, sum dives abunde.
  Pauperies magnas maxima vexat opes.
Mens fati secura, et nulli obnoxia voto,
  Attalicâ potior conditione mihi est.

Nulla facultates his purpura, regia tantas
  Nulla, licet gazis adfluat, aequet opes.
Quae semel excussit sibi frena modestia voti,
  Indomitae semper more recusat equae.
Me faciles saltus, et ab ambitione remotum
  Rus celebrasse iuvet; me procul urbe mori.
Pinguis ubi assidue vigilacibus invia curis
  Pectora privato sub lare somnus alat.
Exagitent lites ubi nullae, ubi nullus Alastor
  Compositae pacem mentis in arma trahat.
Ipse Deus vatum Superis Helicona relictis
  Incolit, aut laeti prata Pheraea soli.
Quid soror, Ortygii dum pacat inhospita Cynthi,
  Et iuga Taygeti, Maenaliumque nemus?
Nil ope turriti peccabant oppida valli,
  Dum Themis intactam crimine rexit humum.
Urbe nefas natum quodcumque. Superbia muris
  Et Dolus et Livor Visque Metusque latent.
Rure nihil, Scheli, tranquillius. una voluptas
  Rus mihi: rus unum commoda mille capit.
Arva nec innumeris versanda ligonibus optem.
  Detur ut exiguus sic bene cultus ager.
Pectoris ingenui comes adsit et unus et alter,
  Imbuit Hyblaeo quîs Lepor ora favo.
Quaestus amicitiae lucrumque coagula fluxae,
  Nec redimenda meo quos trahat aere fides:
Sed liquidus candor, sed Apolline saucius uno,
  Vilia non solitus corda subire, calor.
Quicquid ab adloquiis superabit temporis horum,
  Condat in Aönio bibliotheca sinu.
Vel male tuta lepus canibus det terga secutis;
  Vel viduae piscem detrahat hamus aquae.
Mensa dapem, nihil artis habens, adponat inemtam,
  Et de contiguo fercula lecta solo.

Tethyos interea gremium rimetur Eoae,
  Et lucri ignotam spe terat alter humum.
Terminus hic voto: patriis sive ossa tegentur
  Sedibus in ripae margine, Rhene, tuae:
Seu Getico rumpet Lachesis mihi fila sub axe:
  Seu quocumque tegar funus inane solo:
Belligeros Virgo quae temperat alma Triones,
  Par decus invicto Filia laude Patri,
Det veniam Musae non invidiosa petenti,
  Et probet adsensu vota modesta suo.
Crede, probet, Scheli. nam nil sapientius illâ,
  Aequore qui lato cingitur, orbis habet.

ELEGIA VIII.

AD LUCAM LANGERMANNUM, NEAPOLI MORANTEM,
ME FLORENTIAE RELICTO.

Tu nunc Parthenopes formosae sedibus haeres,
  Optima pars animae curaque certa meae.
Dumque abes, ipse a me videor mihi totus abesse;
  Votaque sunt profugum cernere prima caput.
Mens desiderio comitis pia tabet ademti;
  Spemque fovet reditûs, sed sine fine, tui.
Ecquid amor mihi, dic, periit tuus? ecquid in auras
  Perfidus ingrato pectore cessit amor?
At non illa mihi de te promissa dedisti,
  Mutua cum moestum solveret ora Vale.
Alter in alterius complexibus haesit, et aequus
  Vincula divelli vix tulit arta dolor.
Naïsin haec pietas non est incognita Tuscis.
  Arnus ad externam substitit ipse fidem.

Dumque oculos saucti certamine pascit amoris,
  In freta mirantes lentius egit aquas.
Tene ego Pirithoum, Pyladen te, lente, vocabam?
  Tene Menoetiaden Euryalumque meum?
Nunc absens praesente tibi sum gratior. en nunc
  Longa potes sine me gaudia, dure, pati.
Forsitan illecebris Acheloïadumque doloso
  Carmine Nympharum detineare miser.
Parthenopes fuge litus: habent hoc litus Amores:
  Idalis hoc patrio praetulit ipsa lari.
Vesvius undantem glomerat quod ad astra favillam,
  Armat in hoc Paphius lampadas igne puer.
Omnia plena suis hic aestibus; omnia flagrant.
  Hic et humus, medio flagrat et unda mari.
Mira loci facies: incendia provenit inter
  Laeta Ceres, pingui luxuriatque solo.
Sulfure candentes piceoque bitumine nimbos
  Cernis inexhausto ructet ut ore gigas?
Phlegraeis factura fidem monumenta triumphis
  Ultor in Encelado Iuppiter illa dedit.
Demens, qui thalamos non tactae irrumpere Phoebes
  Ausus et in socerum ferre sit arma Iovem.
At pater infandos procul arcuit ignibus ignes.
  Et trifidam diro condidit ore facem.
Missa Dionaeum geminarunt fulmina vulnus.
  Binus it exsultans cruda per ossa vapor.
Hic rupes et saxa vorax ubi flamma pererrat,
  Saxea cui non sunt corda, quid igne vaces?
Ah satis exactum Sebethide temporis orâ est.
  Hinc meus en revocat nos pater, inde tuus.
Cura mei tibi si non excidit omnis, adesto;
  Et refer optatum cara sub ora pedem.
Vana quid admitto praesagia, certus amari,
  Vixque tuâ quicquam firmius esse fide?

Tu modo, ne frustra mihi blandiar, alite passu
  Tecta Dicarchêo proxima linque mari,
Baianosque sinus, et opaci palmite Gauri
  Terga, corymbifero culmina sacra Deo.
Difficile est, fateor, tam blandâ sede revelli.
  Me miserum, nimiae quod bona causa morae est!
Aequoris ignaram via festinanda sub Arcton.
  Haec quoque terra tibi, quo capiare, dabit.
Huc sese Argolico Latoüs ab orbe recepit:
  Filia Mnemosynes hanc colit omnis humum.
Tempus erit, cum Trinacriam per Dorida vectos
  Puppe Syracosius nos simul abdat ager,
Simichides ubi saepe tuus per tonsile gramen
  Blanda secuturas carmina pavit oves.
Aeger ab exsequiis qui te medicante retractus
  Spirat; Apollineam cui meditatus opem es.
Tunc et delicias Campani ruris, et Afro
  Fatalem Hannibali perspiciemus humum.
Iam mecum natale solum, patriosque penates,
  Regnaque Hyperboreae Martia vise plagae.
Eia agili da calcar equo, seu terra probatur;
  Sive salum mavis findere, puppe veni.
Fac modo, nil noceat, qui nunc pirata Britannus
  Concitat insano plurimus arma mari.
Regius hosne animos cruor addidit? addidit hosne,
  Quae iugulum insonti dextra peregit hero?
Lora premant hostem servilia; lora, Batavi,
  (Nil opus est armis) terga nefanda premant.
Haec Laestrygoniae faeci satis, optime Luca.
  Carbasa da tuto tu modo cauta mari.
Lente, redi: da vela Noto, da fluctibus alnum.
  Ipsa vocant puppim flamina: lente, redi.

ELEGIA IX.

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM.

Sic, fidibus quaecumque cano commissa Latinis,
Fama velim facili perbibat aure tenax;
Et sero Lethaea rogo post fata supersint;
Muta meam mecum nec tegat urna chelyn;
Quaeque patet pronâ tibi Castalis obvia ripâ,
Se quoque libandam praebeat unda mihi:
Gaudia succurrunt ut nulla frequentius istis,
Quae de convictu sunt mihi nata tuo.
Una domus, mens una duos sociabat amantes,
Et chelys alternam non semel una manum.
Quas grates, Tiberine, tibi, quas, Roma, pararim?
Vos mihi tam cultum conciliastis ebur.
Saepe diem, quam longa fuit, sermone peractam
Duximus aestivi saeva sub ora Canis.
Saepe supervenit properatâ nocte diurnus
Lucifer, adloquiis invida stella meis.
Ausa nec urgenti succumbere lumina somno:
Garrula vix solitas ora tulere dapes.
Vocibus ô quoties Latonia conscia nostris
Cum se proriperet, visa venire mihi est!
Filius id Thetidis fuit Actoris ante nepoti:
Id Phryx Euryalo Nisus et ante suo.
Mutua certabat concordia, mutuus ardor.
Haec mihi lis tecum sola perennis erat.
Haesit in ambiguo pulchrae pia palma palaestrae;
Neutraque pars vinci, vincere neutra tulit.
Perstet et absentes par iungat nexus amicos;
Vinculaque aetatem non labefacta ferant.

Pondera ne votis desint sua faxit Apollo;
  Auspice quo nobis hic adolevit amor.
Spumea nos Anienis aquas per saxa ruentes,
  Fervidus illiso qua tonat amne fragor,
Nos una dominae senium lustravimus urbis;
  Prisca suburbani nos monumenta soli.
Thybris amicitiae fuit arbiter. ille duobus
  Contiguo cultos alluit amne lares.
Proxime, dic, sociis Tiberine penatibus, eia;
  Pectora, dic, tetigit sanctior ecqua fides?
Dic, si voce mei vox blandior ulla sodalis
  Per vada stagnantes flava moretur aquas.
Hanc certe e patrio Tiberinides amne sequuntur,
  Plaudit et argutis Naïas uda sonis.
Ipsa etiam hanc pronis rapit auribus Ilia vocem,
  Ilia quam Marti tam tibi grata parens.
At colle ex omni laetum vaga succinit Echo,
  Nec gemere Ismarium iam memor ales Ityn.
Ah quanto tua me, Tiberine, beatior unda est,
  Vatis Apollineo cui datur ore frui.
Tu modo fac sacrum serves, pater optime, Musis,
  Quod tibi Teutonico venit ab orbe, decus.
Me nunc ad patrios promtum tenet ire penates
  Gallia Romuleae nomen adepta togae.
Euganeis ubi Medoacum hic modo collibus ortum
  Intuor; aut Atesin, docte Catulle, tuum.
Tu quoque, Virgilium quae Phoebo lympha dedisti,
  Fatidicae Mantus lympha beata, trahis.
Aut, electrifero dum volvitur amne per agros,
  Me Phaëthontêi detinet unda Padi.
Unde ego nubiferam perrumpere molior Alpem,
  Et nive canentis scrupea tesqua iugi.
Interea decus ille meum, meus ille sodalis
  Quidnam agit? herboso num fovet umbra sinu,

Margine dum solitae citharam moderatur in undae,
Et canit aeterni numine digna loci?
Mulcet an auratae testudinis illice cantu
Chisia purpureos Musa decora sinus?
Ipsa fidem vicina neci cui cessit eburnam
Maxima Pontificis dextera, Phoebe, tui.
Urbanus nunc alter, agro nova gloria Tusco,
Piëriis claram civibus ornat humum.
Hunc meus ille sui veneratur Apollinis instar;
Huic terit, huic Clarias obsidet usque fores.
Quicquid aget, memori non excidit Heinsius ore.
Iam satis expertam novimus ante fidem.
Dum loquor, aëriae salebrosa cacumina rupis
Paene meos tangunt, mox superanda, pedes.
Care vale Fernande. viam meditamur: eundum est.
Me rigor Alpinae iam premit, ecce, nivis.

O D E

DE AGRO NEAPOLITANO.

Quis fluctuantum caerula nubium
Penna volucri, quis Deus, ah Deus
Nimbos secaturum aestuosos
Sistat agens laribus paternis?
O laeta apricae prata Bataviae,
O Rheni ad undam graminei torus,
O mite Lugdunum, o relictae
Certus amor validusque terrae,
Ut cor peruris! vos, comitum manus,
Heu candidorum turba sodalium,
Quîscum serenos saepe soles
Aoniae fidis illecebra

Fregi beatus! Nunc videt avium
Campana Tusco Doris ab aequore
Myrteta sectantem otiosae
Parthenopes et odora Tempe.
Sive inde Graiae rura Dicarchidos,
Hinc, quo sepultus Tros tubicen, iugum
Litusque praetentum Lucrino et
Sulfureis geniale Baiis
Lassus pererro, seu sterilem hinc locum
Fumisque et atro vortice torridum,
Phlegiam omne damnatam sub aevum
Fulmineos glomerare nimbos.
Qua trux trisulcum missile Iuppiter
Afflati adactum viscera per soli
Contorsit in fractos gigantas,
Terrificae monumenta pugnae.
Quin et paludem lustro Acherusiam,
Cunctis natandae vestibulum Stygis,
Ripasque sub terram meantis
Nunc avibus faciles Averni.
Nam culta Iaccho quid memorem iuga?
Quid Phoebo amatam fatidico specum,
Foetasque responsis latebras,
Euboicae penetrale vatis?
Sedem nefandi quid Capreas senis?
Quid fixam in altis Inarimen vadis,
Cui membra suppostus Typhoeus?
Quid tumulum Procytcu Mimantis
Narrem, et perustis pulvereum iugis
Late Vesevum? nuper amabiles
Cui terga vestibant racemi
Spicea Palladiique foetus.
Cum volvit igneos asper anhelitus
Telluris alto Mulciber e sinu,

Ruptisque convulsi cavernis
Culmina dissiluere montis.
Caligine aether Tartarea latens
Dirum intonare. hinc saxaque cerneres
Undante cum flamma et vaporem
Aërias super ire turres.
Mors hic per agros, hic lacrimae et fuga.
Iamque hausta saevo cuncta voraginis
Incursu. at Oenotras per urbes
Attonitae trepidare matres.
Experte stagnis, quid tumidum secas,
Heinsi, profundum? ne temerarius,
Ne crede quassuris procellis
Invalidae latus omne cymbae.
Lucana non te sub Calabro lare
Enixa mater: non tulit entheis
Boeotus Ismenos fluentis
Icariae intrepidum ruinae.
Dum cursu arantes invia siderum
Non aemulando persequitur Deas,
Defluxit ex alto Pyreneus:
Tutus humi leviorque lapsus.
Quin plectra tentas ad Batavos redux
Olim penates? non ego cognitis
Maiora de magnis locutus,
Non dubii metuendus oris.
O quae relicto gaudia tunc patri!
O gratulatis quanta sodalibus!
Totque adde Rhenani hauriendos
Non sine me cyathos Lyaei.

TYPIS I. F. VISSERS.

